



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
lesv, Cvrsvs Theologicvs**

iln decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Secvndam Secvndæ, & Tertiam Partem D. Thomæ

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

De Confirmatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94839)

pedimentum noui peccati ex abusu baptizati. Conferit præterea vires gratiæ sufficientes, vt vitari possit omne tale impedimentum peccati mortalis; tamen non conferat infallibilitatem infrustrabilem, vt videtur de facto. Quod nimirum præstari non potuit saluo libero arbitrio, quod est homini connaturale. Id autem abunde sufficit pro beneficentia institutionis Baptismi, vt pote institui pro iis, qui iam erant rei peccati, & ratione eius exclusi æternum à Regno Cælorum. Vnde onus suscipiendi Baptismi, est valde lucrosum, & foelix quædam necessitas, seu obligatio commutandi peccatum, & mortem æternam cum gratia, & vita æterna.

Ad 6. Prædestinatio, est præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur, vt fert communis ex Augustino definitio. Vnde sicut est certissimum, esse saluandum quicumque est prædestinatus: Ita etiam certissimum est eundem adhibiturum, vel obtenturum esse media ad salutem necessaria, ac proinde Baptismum, vel in re, vel in voto, aut æquiualetem in martyrio. Ineptè igitur dicitur prædestinatum esse saluandum, siue baptizetur, siue non baptizetur: sicut diceretur ineptè baptizatum, si illico moriatur, esse saluandum, siue sit prædestinatus, siue non sit prædestinatus. Nempe hæc extrema, sunt mutuo inter se connexa sensu superius explicato, ideoque conditionales eiusmodi sunt de subiecto non supponente quoad separabilitatem conditionis à conditionato.



INCIPIUNT QVÆSTIONES de Confirmatione.

QVÆSTIO LI.

Virum Confirmatio sit Sacramentum perfectum Baptismi, per augmentum virtutis, ad constantem professionem fidei.

VIDETUR non esse 1. Quia in scripturis habetur expressio eorum omnium, quorum notitia, & fides est necessaria ad salutem, & profectum animæ, atque ad cultum legitimum Dei. Vnde quæ sunt eiusmodi, inter ea, quæ dixit, & fecit Christus Dominus, omnia expressa sunt in Euangelis, dicente Augustino tract. 42. in Ioan. *Multa quidem Dominum, & dixisse, & fecisse, quæ scripta non sunt, electa verò esse, quæ scriberentur, quæ credentium saluti sufficerent.* Sacramentorum autem notitia, & fides est cum primis necessaria ad prædictos fines, vt patet, eademque omnia sunt instituta à Christo Domino, vt dictum est supra in communi. Cum ergo nulla reperiat in sacris literis expressio Sacramenti Confirmationis, neque Euangelistæ quidquam dicant de institutione eius per Christum, credendum nequaquam est Confirmationem esse verum noui testamenti Sacramentum, sed esse caeremoniam quandam, inductam in Ecclesiam sola Pontificum autoritate, præsertim Melchiadis Papæ, à quo plurimum illa commendatur in Epistola ad Episcopos Hispaniarum, quæ habetur de consecrat. dist. 5. cap. 3. *De his.*

2. In ordine naturali sufficit homini iam nato cibus, & potus, vt augeatur, totamque virtutis perfectionem acquirat sufficientem ad omnes operationes vitæ naturalis, & ad totam ipsius perfectionem. Ergo similiter in ordine supernaturali, sufficit homini post Baptismum, per quem spiritualiter nascitur, cibus & potus spiritualis, quæ habentur per Sa-

cramentum Eucharistiæ. Ergo perperam interferitur his duobus Sacramentis, Sacramentum aliud Confirmationis, quasi conseruatium, ac promotiuum perfectionis habitæ per baptismum.

3. Nullum Sacramentum institutum est specialiter ad inducendam perfectionem peculiarem; aut charitatis, aut spei quæ sunt virtutes nobiliores, quam fides. Ergo multo minus est institutum Sacramentum peculiare, ad inducendam perfectionem fidei. Eo vel maxime, quia Baptismus est Sacramentum fidei, vt supradictum est, ideoque sufficienter stabilitur vnusquisque in fide, atque ad eius constantem professionem disponitur, per Baptismum, absque adminiculo alterius Sacramenti ad id ipsum ordinati. Quia Dei perfecta sunt opera, & consequenter, vnumquodque se solo est sufficientissimum in suo genere.

4. Sacramenta nouæ legis expressit Deus in lege veteri, per figuras, & similitudines congruentes, vt dictum est supra de Baptismo, & dicendum est infra de Eucharistia; eademque consecrauit Christus Dominus, aliquo eorum vsu, vt esset perfectum nobis exemplar, cui conformaremur in vsu eorundem Sacramentorum. Confirmationis autem, neque vlla figura præcessit in veteri testamento, neque eadem est vnquam vsus Christus Dominus, sicut vsus est Baptismo, & Eucharistia. Ergo Confirmatio non est Sacramentum nouæ legis.

5. Non constat, nec vllis indiciis deduci potest ex Evangelica narratione, quando Christus Dominus instituerit Sacramentum Confirmationis. Nunquam ergo illud instituit.

ART. I. Respondetur. Dogmata, & mysteria nostræ fidei sunt in duplici genere. Alia namque sunt fundamentalia, & maxime ardua, vt mysterium Trinitatis Diuinæ, quæ est principium cæterorum omnium, mysterium Incarnationis Verbi Dei, à quo proueniunt omnia dona gratiæ, peccatum originale, à quo proueniunt causaliter omnia mala animæ, & occasionaliter omnia eadem dona gratiæ simul cum eorum auctore Christo; atque hæc ipsa exorbitant vsque adeo ab ordine rerum naturali, vt sint creditu difficillima, & sic de similibus. Alia verò sunt dogmata, & mysteria, quæ ad priora illa consequuntur, nec sunt secundum se valde difficilia creditu, sed faciliè inducuntur in animum primis illis semel admissis, vt nemo, aut vix vllus fidem eis neget, prioribus illis admissis semel, atque retentis, neque ab istis recedat, præcisè ne cogatur illis assentiri. Huius generis sunt cultus, & veneratio Sanctorum Martyrum, imagines eorum, & similia. Quæ sunt prioris generis, oportuit exprimi in scriptura verbis immediate dictatis à Deo, vt autoritas Diuinitatis magis conspicua, omnibusque, & singulis non modo sententiis, sed etiam syllabis, & apicibus verborum suorum perfectissimè instruens intellectum, & permanentius obtutibus occurrens in Scriptura, impelleret fortius ad credendum, atque induceret perfectius ad exactam credendorum notitiam. Quæ verò sunt generis posterioris sufficit, vt innotescerent per traditionem, verbis pro libito electis ab vnoquoque tradente, & manentibus dispariter in audientibus pro captu cuiusque. Hac de causa in Sacramentis quoque diuersitas eiusmodi obseruata est, atque de Baptismo, qui est fundamentum cæterorum Sacramentorum plurimus habetur sermo in scripturis Canonicis, vt apparet ex multis illis testimoniis; quæ superius circa ipsum producta sunt; & similiter habentur in Euangelis, & apud Apostolum loculentissima, & clarissima testimonia circa Sacramentum Eucharistiæ, quod est, & præstantissimum omnium Sacramentorum, & difficillimum, quod credatur, vt apparebit infra in eius expositione; Idemque ferè obseruare proportionaliter licebit, circa ea, quæ dicuntur

dicentur de Sacramento Pœnitentiæ. Reliquorum verò Sacramentorū notitia, quorū aut dignitas tanta non est, aut non est tanta difficultas, habetur præcipue ex traditione, certè ea plurimum coadiuuante subsistit. Hæc igitur ratio est, ob quam, plerūque eorum, quæ spectant ad Sacramentum Confirmationis, deducenda potissimum sunt ex traditione, cuius extant indicia clara, & innegabilia in monumentis sanctorum Patrum, maximè vero in Conciliis.

Art. 2. Haud tamen obscurum eiusdem Sacramenti fundamentum desumitur ex sacris literis. Ad ipsum namque pertinet illa sæpius repetita Christi Domini promissio de mittendo Spiritu Sancto, quæ expressius proponitur Ioan. 14. 16. *Ego rogabo patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum.* Nempe hæc promissio facta in primis Apostolis iam baptizatis, certè adimpleta est in die Pentecostes, idest multò postquam baptizati fuerant, ut apparet ex dictis supra quaest. 38. circa tempus institutionis Baptismi, & vlus eius, Deinde permanentia Paracliti in æternum in iis; ad quos mittendus erat, indicat promissionem non limitari personaliter ad Apostolos, sed amplecti totam scierim fidelium, & Ecclesiæ, quæ est permansura in æternum. Eadem hæc eius promissio vniversalitas colligitur iterum efficaciter ex indistinctione ipsius ab ea quæ fit apud Ioan. cap. 17. 7. *Paraclitus non veniet ad vos. Si autem abiero, miram eum ad vos.* Mittetur verò, & veniet cum ea sui influxus vniversalitate respectu omnium, cum qua aderat is in cuius locum mittendus, & venturus erat, nempe in locum ipsius Christi Domini, qui venerat, & aderat pro omnibus, atque ut omnes de plenitudine eius acciperent. Denique ea promissio adimpleta est respectu Apostolorum in die Pentecostes, veniente super ipsos Spiritu sancto in linguis igneis. Quapropter eadem promissio intelligitur adimplenda sensibilibus respectu cœterorum etiam fidelium, quibus erat communis. Quod si Spiritus sanctus promittitur dandus sensibilibus fidelibus iam baptizatis, dandus vtique erat sacramentaliter fidelibus iam baptizatis nec enim Deus contulit Ecclesiæ suæ modum alium percipiendi sensibilibus Spiritum sanctum, quam sacramentalem, seu per Sacramenta. Superest igitur baptizatis post suspensionem Sacramenti, quo baptizati sunt Sacramentum aliud, cuius effectus peculiaris, sit peculiaris communicatio Spiritus sancti.

Art. 3. Promissionem Christi esse accipiendam hoc sensu, euentus ipse demonstrat satis. Quia Apostoli postquam modo dicto acceperunt Spiritum sanctum sibi promissum, perrexerunt eundem aliis, iam ante baptizatis dare; per signum sensibile, vt apparet clarè ex Act. 8. 17. vbi sic habetur: *Miserunt ad eos (Samaritanas) Petrum, & Ioannem, qui, cum venissent, orauerunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum. Nondum enim in quenquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.* Similiter, Act. 19. cum inuenisset Apostolus quosdam baptizatos solo Baptismo Ioannis, primum iussit eos baptizari Baptismo Christi, & postquam baptizati erant, dedit eis Spiritum sanctum per manuum impositionem. Eadem realis datio Spiritus sancti per impositionem manuum, tanquam, per signum sensibile efficax, & practicum, apparet quodam modo dilucidius ex abludo conatu Simonis magi, & iusta Petri reprehensione in dicto cap. 8. vbi subiicitur in hunc modum: *Cum vidisset autem Simon, quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam, dicens: Date mihi hanc potestatem, ut imponero manus, cūcunque accipiat Spiritum sanctum.* Respondit autem Petrus reprobando oblationem pe-

cunia, simulque approbando dationem Spiritus sancti per manuum impositionem. *Pecunia, tua, inquit tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia posse obtineri.*

Art. 4. Per absurdum autem datio hæc Spiritus sancti acciperetur de datione eius per donum linguarum aut alias gratias datas, propter illud Act. 19. 6. *Postquam imposuit Paulus illis manus venit Spiritus sanctus super illos, loquebanturque linguis, & prophetabant.* Hic enim effectus fuit particularis in illa particulari manuum impositione, non verò vniversalis in vniversalis, & ordinaria manuum impositione. Alioquin enim verba illa consolatoria Christi. *Expedi vobis, ut ego vadam. Si enim non abiero, &c.* Essent omnino insufficientia pro scopo suo: Nec enim fuisset sufficiens, ad supplendam absentiam Christi ex quo proueniebat abundantia omnium gratiarum, sed maxima gratia sanctificantis, missio Spiritus sancti, præcisè quatenus collaturi gratias gratis datas, quæ ad vtilitatem aliorum directæ, & principaliter ordinantur. Accedit ad eandem Spiritus sancti promissionem & dationem pertinere, quod dicitur Lucæ 24. 49. *Sedete in Civitate, donec induamini virtute ex alto.* Virtus autem ex alto, non est profecto donum linguarum, sed abundantia gratia sanctificantis, coniuncta cum auxiliis actualibus adiuuantibus ad constantem fidei professionem, & propagationem. Accedit rursus, quod efficacius virget, dationem Spiritus sancti per manuum impositionem fuisse communem omnibus baptizatis, vt constat ex locis præiudicatis. Act. 8. 9. & 19. Donum autem Linguarum & aliæ gratia gratis data, non conferuntur, nec conferebantur indiscriminatim omnibus baptizatis, vt constat ex 1. ad Corinth. 12. & Ephes. 4. Negari igitur non potest, quin Apostoli, & acceperint ipsi, & dederint aliis Spiritum sanctum sensibilibus; atque aded institutum fuisse à Christo Domino signum aliquod sensibile, collatum Spiritus sancti respectu baptizatorum, eiusque collationis fuisse capaces omnes baptizatos, ex quo iam baptizati erant. Quia verò eiusmodi collatio Spiritus sancti erat manifestè diuersa à reliquis sex Sacramentis, atque signa sensibilia gratia adhibita vniversaliter ab Apostolis respectu omnium baptizatorum, erant permanentiter instituta pro toto deinceps tempore, pro quo permansura erat Ecclesia sensibilis, ac visibilis, atque indigentia fidelium futura erat eadem, certè nulla ex parte futura erat minor; colligitur Sacramentum specialiter collatum Spiritus sancti, atque diuersum à reliquis sex Ecclesiæ Sacramentis, institutum à Christo fuisse, atque viguisse ab initio nascentis Ecclesiæ, atque ita definitum est à Concilio Florent. in decreto Eugenij §. *Nonalegis*, & à Trident. sess. 7. can. 1. tum de Sacramentis in genere, tum de Confirmatione, vltra alia plura Concilia, & vnanimem Sanctorum Patrum consensum, quæ exhibet inter alios luculenter Suar. disp. 33. sect. 1.

Art. 5. Constituta existentia huius Sacramenti, non potest in dubium reuocari, quod fuerit immediatè institutum à Christo Domino. A quo nimirum immediatè instituta esse omnia Ecclesiæ Sacramenta, est certum ex fide definiente id apertè Concilio Tridentino, iuxta dicta supra in communi quaest. 10. idemque docent in particulari de isto Confirmationis Sacramento Conc. Mogunt. cap. 17. & Conc. Senon. in decretis morum cap. 38. Dubitatur quo determinatè tempore instituerit. Dicendum autem videtur, institutionem hanc factam esse post passionem & ante Ascensionem Christi in Cœlum. Post passionem quidem, quia post ipsam collata est Apostolis à Christo Domino, potestas, & dignitas Episcopalis vt apparet ex Ioan. 20. 21. & 22. Neque verò credibile est prius vltimatè, & complete institutum fuisse istud

Sacra

Sacramentum quam institueretur eius ordinarij ministri qui sunt soli Episcopi, vt dicitur quaest. 54. Ante Ascensionem verò quia Christus Dominus, Ante suam in Caelos Ascensionem, iecit omnia principalia Ecclesiae suae fundamenta, quae ad substantiam eius pertinent qualia procul dubio sunt omnia Sacramenta. Inter ea autem duo extrema, probabilis admodum videtur opinio Scoti, & aliorum reuocantium vltimam, & completam institutionem huius Sacramenti ad illud potissimum tempus, in quo Christus dedit Apostolis Spiritum sanctum, insufflando, & dicendo. *Accipite Spiritum sanctum*, Ioan. 20. Tunc enim coepit potestas Apostolorum ad perficiendum, & conferendum hoc Sacramentum, atque inceptio eius potestatis optima ratione deuincitur, inceptio ipsius Sacramenti. Dixi verò vltimam, & completam institutionem, tunc primum extitisse, quia negari non potest inchoatiam quandam institutionem praecessisse prius in promissione Christi superius ponderata: *Si autem abiero, mittam eum ad vos*, vt aduertit D. Thomas quaest. 72. Art. 1. ad 1. vbi accipiendus proculdubio est de institutione soli inchoatiua quamquam id non exprimat. Adumbrata itidem fuit, & quodammodo inchoata eadem institutio, vt insinuat Concilium Senonense nuper relatum, quando Matth. 19. 12. *oblatis sunt ei paruuli, vt manus eis imponeret, & oraret*. Vltus autem eiusdem Sacramenti videtur capisse post resurrectionem, & Ascensionem Christi, & non prius, vt obseruat D. Thomas in eadem illa responsione ad 1. Quia in hoc Sacramento confertur plenitudo Spiritus sancti, quam non decebat conferri ante plenam glorificationem Christi; iuxta illud Ioan. 7. 39. *Nondum erat spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus*.

Art. 7. Quod autem hoc Sacramentum sit perfectiuium Baptismi, docet in primis expresse Dion. c. 4. de Ecclesiastica Hierarchia, vbi illud vocat *diuina generationis sacro sanctam perfectionem*, & praeterea colligitur ex eo quod Apostoli baptizatis omnibus conferrent immediatè Sacramentum Confirmationis, vt liquet ex locis Actorum superius indicatis, vtique vt primum illud opus perficerent, & quasi completerent vltimo, per opus istud posterius. Quod autem perfectio ista Baptismi consisteret in augmento virtutis, ac roboris ad fortem, & constantem professionem fidei, docetur disertè à Concilio Florentino in praedicto Eugenij decreto §. *secundum Sacramentum*, vt exponetur, & confirmabitur magis q. 56. Interim sufficiant verba Melchiadis Papae in Epistola illa ad Hispaniarum Episcopos c. 2. *Spiritus sanctus, qui super aqua Baptismi salutifero descendit lapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam; in Confirmatione, augmentum praestat ad gratiam; in Baptismo, regeneramur ad vitam; post Baptismum, confirmamur ad pugnam; in Baptismo abluimur, post baptismum roboramur; & rursus: Confirmatio autem armat, & instruit ad agones mundi huius & praelia reseruandos*. His autem ita constitutis liquidò apparet Confirmationem rectè definiri; *Sacramentum perfectiuium Baptismi, per augmentum virtutis ad constantem professionem fidei*. Cui definitioni explicanda, & commendanda facilius quinis applicare potest, quae dicta sunt supra in simili circa ipsum Baptismum, quaest. 31.

Ad 1. Ex doctrina praemissa supra art. 1. apparet satis, quo pacto accipienda sit licentia illa Augustini. Apparet praeterea ex dictis ab art. 2. ad 5. institutione, & existentia Sacramenti Confirmationis, & vtriusque fidei, inductam non esse absque magno fundamento in Sacris litteris. Illi verò errat tarpissimè, qui initium Confirmationis reuocant, vel ad Melchadem Papam, vel ad Concilium Meldense, quando ex clarissimis testimoniis, quae producit Suar. & aliis in praesenti, constat hoc Sacramentum longè ante vtriusque tempora

communi Ecclesiae vfu fuisse receptum, tempore Clementis, Urbani, Fabiani, Cornelij, Cypriani, Eusebij, & aliorum. Immo constat ex locis Actorum superius ponderatis, tempore Apostolorum idem sacramentum in vfu fuisse.

Ad 2. Etiam in ordine naturali, si quod recens nato imminet periculum peculiare amittendae vitae, indiget peculiari praesidio, vltra cibum, & potum ordinarium. Regenerato autem per Baptismum imminet multiplex periculum amittendae vitae spiritualis, ex multiplici occasione peccandi, maxime verò imminet periculum amittendae fidei, quae est fundamentum totius vitae spiritualis, propter multiplicem difficultatem interioris & exterioris exurgentem aduersus ipsam. Indiget igitur ad hoc peculiari huius sacramenti praesidio, vltra cibum, & potum Eucharisticum.

Ad 3. Nulli vnquam multum displicuit, quod verus Deus diligeretur ab aliis super omnia, quodque spes firma collocaretur in eodem, nec propterea directè ad iram, & persecutionem incensus vnquam est aliquis aduersus aliquem. Multis verò plurimum omni tempore displicuit professio fidei Christi, & horribiles aduersus ipsam persecutiones excitatae sunt, & nunc quoque suauissima exercentur, oportuit ergo vt peculiari Sacramento manirentur, athleta Christi, ad professionem potissimum fidei, vnde indirectè praeuenerentur sufficienter ad veram quoque dilectionis, & spei, aliarumque virtutum exercitium.

Ad 4. Sacramentum Confirmationis confert perfectionem, & plenitudinem gratiae baptismalis. *Nihil autem ad perfectum adduxit, lex* vt habetur ad Hebr. 7. 19. propterea nihil potuit aptè correspondere huic Sacramento in veteri testamento. Rursus Christus Dominus fuit ab initio plenus Spiritu sancto, ideoque non debuit Sacramentum suscipere collatiuium plenitudinis gratiae. Immo decuit, vt eandem plenitudinem aliis etiam conferret per seipsum immediatè, independentè à Sacramenti vfu, vt pote existens author Sacramentorum omnium, eorumque omnes effectus praehabens in se immediatè. Qua de causa solo Eucharistiae Sacramento, propter peculiarem eius dignitatem, legitur, & merito creditur vfu fuisse, immediatè per seipsum.

Ad 5. Patet ex dictis supra.

QVÆSTIO LII.

Virum materia Confirmationis sit Chrisma, ex Oleo, & Balsamo consecratum per Episcopum.

Videtur non esse. 1. Quia Spiritus sanctus, cuius est collatiuium hoc Sacramentum datus est Apostolis per applicationem ignis, nempe apparentibus linguis igneis super ipsos; atque ab eisdem Apostolis datus est per manuum impositionem, vt dictum est, ac confirmatum testimonio Luc. in q. praeced. Ergo hoc Sacramentum admoto igne vel sola manuum impositione, & non vnctione olei, ac balsami perfici debet.

2. Confirmatio est perfectiuium Baptismi, & debet conferri omnibus baptizatis. Ergo materia eius debet esse aliquid simplex, sicut est simplex aqua, quae est materia Baptismi, vt nimirum perfectiuium, sit conforme perfectibili: & rursus debet esse aliquid non minus vbique obuium, quam sit vbique obuia aqua. Chrisma, autem ex oleo, & balsamo nec est aliquid simplex, vt patet, nec oleum vbique prouenit, & multo minus balsamum, dicente Plin. *Balsamum vni terrarum Iudae concessum est, quondam in duobus tantum hortis, vique Regio, altero interrum viginti non amplius, altero par-*

3. Sacramentum ex suo conceptu est signum gratiæ sensibile, ac discernibile ab omnibus. Ergo materia Sacramenti ex suo conceptu est sensibilis, ac discernibilis ab omnibus. Balsamum autem verum, est difficile discernibile à falso, vt affirmant periti. Ergo balsamum non est materia necessaria huius Sacramenti.

Confirmatur ex cap. *Pastoralis, de Sacramentis non iterandis*, vbi Innoc. I. i. rogatus; an iterandum esset Sacramentum Confirmationis, non chrismatis, sed sola olei simplicis vnctione peractum? Respondet nihil esse iterandum, sed caute suppleendum quod incaute fuerat omisum. Totum autem iterandum fuisset, si balsamum quod non fuerat adhibitum, esset materia essentialis. Secundò Cyp. epist. 70. August. lib. 5. de Bapt. cap. 20. Innoc. I. ep. 1. cap. 3. & alij, chrisma necessarium ad Confirmationem; appellant oleum benedictum; mixtum autem, non rectè significatur nomine simplicis. Ergo mixtio balsami non est de necessitate huius Sacramenti. Tertio solum oleum significat sufficienter effectum Confirmationis, nempe robur militare ad professionem fidei firmam, & constantem. Quod autem sufficit ad significandum effectum Sacramenti, eo ipso sufficit ad constitutionem, & valorem eiusdem Sacramenti. Quartò tam modica pars balsami communiter admiscetur oleo, vt non peruat omnes eius partes, atque intra breue tempus transmutetur in ipsum, & corrumpatur. Ergo de facto perficitur istud Sacramentum solo oleo, saltem, vt plurimum. Dicit verò nequit toties nulliter perfici iuxta praxim Ecclesiæ communem. Quintò Paulus III. vt referunt Suarez, & alij, concessit priuilegium Episcopo Indico, illud petenti, vt pro confirmatione vteretur liquore inibi proueniente, de quo dabitur, an esset verum balsamum. Nihil autem operari potuisset priuilegium, si verum balsamum esset materia necessaria huius Sacramenti. Postremò Concilium Arausicanum, 1. can. 1. Statuit, vt chrismatus in Baptismo, non chrismetur iterum in confirmatione, sed solum imponatur illi manus ab Episcopo. Ergo vnctio chrismatis non est de essentia huius Sacramenti, sed sola manus Episcopalis impositio, vt inferit Symundus, vltus insuper testimonij Hieronymi, Augustini, Gennasij, Hilarij vocantium confirmationem impositionem manus.

4. In Sacramento Eucharistiæ miscetur aqua vino, sicut in Confirmatione miscetur balsamum oleo. Ergo sicut nihilominus solum vinum est de substantia Eucharistiæ, ita etiam in Confirmatione, vel solum oleum, vel solum balsamum est de substantia eius.

5. Consecratio, seu benedictio Chrismatis est sacramentale quoddam, sicut benedictio aquæ baptismalis, nec non panis & vini Eucharistici. Posteriores autem istæ benedictiones non sunt de necessitate Sacramenti. Ergo nec prior benedictio: sed omnes vniformiter sunt de necessitate præcepti tantum.

6. Simplex Sacerdos potest consecrare Eucharistiam potestate ordinaria, & similiter potest, potestate saltem delegata à summo Pontifice perficere Sacramentum Confirmationis, vt infra dicitur. Ergo potest etiam consecrare, seu benedicere valide, & sufficienter materiam ipsius Confirmationis, saltem ex concessione summi Pontificis. Pater consequentia, quia, qui potest plus, potest etiam minus intra idem genus. Confirmatur ex Concil. Tolet. 1. can. 20. vbi præmissis in quibusdam Prouincijs Presbyteros dici Chrisma consecrare subiungit: *Placuit ex hac die nullum alium nisi Episcopum Chrisma consecrare*: Supponit ergo consecrationem factam à Presbytero valere, solumque præcipit, ne id fiat. Ergo quòd Chrisma sit benedictum ab Episcopo, non est de necessitate Sacramenti; sed solum de necessitate præcepti.

R. P. de Esparza Curs. Theol. Tom. II.

7. Non est credibile omnia ea, quæ habentur in Rituali Romano pro benedictione Chrismatis esse de essentia Sacramenti. Nullum verò est indicium, quod vna pars potius quam alia sit de essentia. Nulla igitur est de essentia. Accedit Christum Dominum nihil hac in re determinasse. Quæ autem sunt de essentia Sacramentorum omnia sunt determinata à Christo Domino, nec vlla relicta est potestas Ecclesiæ, vt circa illa aliquid disponat aut determinet, vt dictum est supra communi ex sensu, & attestazione Conc. Trid.

8. Si oleo benedicto superinfundatur oleum non benedictum, valet deinde Sacramentum, tametsi perficiatur solo oleo superinfuso. Ergo similiter valet perfectum oleo nec benedicto, nec permixto cum benedicto. Paret consequentia, quia permixtio non facit, vt sit benedictum, quod miscetur benedicto, sicut mixtio vini non consecrati cum consecrato, non facit, vt vinum, quod superadditur, ac miscetur, sit itidem consecratum. De antecedenti constat ex praxi communi Ecclesiarum, & ex cap. *Quod in dubijs de consecrat. Eccles.* ex Pastoralis Leonis X. cap. 7. & ex Rituali Romano, Pauli 5. §. *habeat* de Sacramento Extremæ Vnctionis.

Art. 1. Respondetur, Materia proxima huius Sacramenti exponitur commodius simul cum forma in quæst. sequenti: Remotam exponit, ac determinat dilucidè Conc. Florent. in decreto Eugenij, his verbis: *Secundum Sacramentum est Confirmatio, cuius materia est Chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientie, & balsamo, quod odorem significat bonæ famæ per Episcopum benedicto*. Cui quidem vsque adeò plenæ, ac planæ Concilij Ecumenici declarationi, ac definitioni, nullius, aut rationis, aut auctoritatis prætextu, ita insidiari vlla ex parte licet, vt eximatur à necessitate Sacramenti, soliisque præcepti necessitati adiudicetur, aut oleum, aut balsamum, aut mixtio vtriusque, aut Episcopalis benedictio, supra vtrumque sic mixtum, quando Concilium hæc omnia, sub nomine materiæ huius Sacramenti, vniformiter comprehendit, atque ista sua vniformitate, cuius circa eadem diuersimodè opinandi licentiæ aditum penitus interclusit.

Art. 2. Quod tamen intellectum volo, salua probabilitate, quæ inest ab extrinseco nonnullis plurimum Theologorum opinionibus, ac interpretationibus in contrarium, vt paulo post notabitur. Verum quominus illis assentiar hoc præterea efficaciter obstat, quod idem Concilium, in exponendis reliquis omnibus Sacramentis ea solum sub nomine materiæ, & formæ comprehendit, quæ ex institutione Diuina ad substantiam eorum pertinent, vt innotuit supra circa Baptismum, & innotescet in decursu circa reliqua, dum de singulis dicitur. Certè circa Sacramentum Eucharistiæ, in quo similis mixtio vini, & aquæ adhibetur, caute distinguit, quod est necessarium necessitate Sacramenti, ab eo, quod est necessarium sola necessitate præcepti, dicens materiam esse vitæ de vite, cui modicissima aqua admisceri debet, vt obseruabitur infra quæstione 59. Quænam autem ratio suadere, aut etiam permittere potest: vt in hoc solo Sacramento secus factum esse arbitremur? Dicendum itaque est omnia ea, quæ Concilium vniformiter exprimit, vniformiter ad materiam huius Sacramenti pertinere; nempe oleum, & balsamum, mixtionem vtriusque, & Episcopalem benedictionem seu consecrationem; atque hæc omnia ita esse necessaria necessitate Sacramenti, vt quolibet eorum deficiente, Sacramentum non subsistat.

Art. 3. Rationem ob quam oportuit, vt talis institueretur materia pro isto Sacramento, reddit optimam D. Thomas, quæst. 2.2. art. 2. & 3. Oleum enim in primis est significatiuum abundantis gratiæ, per

K k quam

quam baptizatus perducitur spiritualiter ad complementum ætatis perfectæ, & roboratur ad constantem professionem fidei. Quia de causa Christus Dominus dicitur unctus oleo lætitiæ, propter plenitudinem Spiritus sancti, quam accepit ab initio, atque olim Athletæ vnguebantur oleo ante luctum, ut obseruat Arcurius & alij. Mixtio balsami fit itidem admodum conuenienter, quia constans, ac firma professio fidei, confert plurimum ad ædificationem confortatiuum fidelium, quæ ædificatio significatur analogia peridonea per fragrantiam odoris, vel maxime inest balsamo, & redundat ad alios. Quia de causa dicit Apostolus 2. ad Corinth. 2. 15. *Christi bonus odor sumus*. Quod autem odor significatiuus ædificationis præferuantis à corruptione præmineat in balsamo, apparet ex illo Eccles. 24. 21. *Quasi balsamum non mixtum odor meus*. Dicitur verò non mixtum in hoc loco per exclusionem eorum, ratione quorum languet vis odorifera propria balsami. Non est autem huiusmodi oleum oliuarum. Quia cum sit valde calidum, ac facile inflammabile nihil nocet odori, qui fouetur calido, & sicco. Conuenienter demum superaddita est benedictio Episcopalis. Quia expedit materias Sacramentorum antequam adhibeantur ad vsum vsque ad Sacrum, esse discretas à rebus profanis, seu quibus ad vsum profanos, uti licet. Id enim confert plurimum ad excitandos, ac eleuandos animos, eisdemque disponendos, prout expedit esse dispositos, ad perficiendum decenter Sacramentum, utque illi decenter adsint, quicunque adsunt.

Art. 4. Hac ratione Christus Dominus voluit per se ipsum immediatè sanctificare materiam Baptismi, qui est fundamentum reliquorum omnium Sacramentorum, dum per contractum aqua voluit baptizari in Iordane, quia, ut dicit Ambros. lib. 2. in Luc. cap. vltim. *Baptizatus est Dominus non mundari volens, sed mundare aquas, ut abluta per carnem Christi, quæ peccatum non cognouit; baptismatis ius haberent*. idem exprimit significantius August. Serm. 36. de tempore. *Filium genuit mater, & Casta est, Christum vnda lauit, & sancta est. Et rursus. Illa meruit ne peccaretur, ut peccata purgaret: Illi est collata Virginitas isti donata fecunditas*. Hinc Beda lib. 1. in Luc. caput 10. pronunciat, *aquas ablutas, per carnem Christi peccati nesciam, Baptismi ius induisse, & vim regeneratiuam sanctificationis concepisse*; Similiter pro Sacramento Eucharistiæ, quod est præstantissimum inter omnia Sacramenta, benedixit idem Christus Dominus, tum panem, tum deinde Calicem, ut habetur Matth. 26. & Luc. 22. Ex eiusmodi enim excellenti, & sanctificatione, & benedictione immediata Christi Domini, effectum est, ut cuiuslibet deinde aquæ seu panis, & vini separatione, aut adhibitione ad vsum Sacramenti, excitetur memoria prioris seu sanctificationis, seu benedictionis Christi Domini in re simili, utque inde eleuetur, ac disponatur decenter animus ad Sacramentalem operationem. Effectum certe est, ut Christus Dominus prouiderit sufficienter, quod tum est de se, prædictæ bonæ, ac decenti animæ dispositioni. In reliquis Sacramentis semper interuenit, aliquid simile. Quia in Sacramento Pœnitentiæ exterior peccatorum confessio, sanctificatur per internum dolorem supernaturalem de illis. In Sacramento ordinis, omnia quæ adhibentur præsupponuntur consecrata, seu aliquantulum benedicta, ut dicitur in loco. In Sacramento Matrimonij corpora contrahentium præsupponuntur similiter sanctificata per ablutionem baptismalem. In Sacramentis igitur Confirmationis, & Extreme-unctionis, quorum materia non est aliunde benedicta, seu aliquantulum eleuata, ac discreta à materia profana, oportet, ut præmittatur benedictio, seu consecratio Episcopalis, quatenus

Episcopi sunt Principes Ecclesiæ, & substituuntur Christo Domino, quoad principales functiones Ecclesiasticas, quarum una est consecratio materia secundum se profana, ut sit idonea ad vsum sacrum. Patet igitur omnia prædicta simul esse optima ratione, determinata pro materia substantiali atque omnino necessaria huius Sacramenti.

Ad 1. Christus Dominus propter potestatem excellentiæ contulit effectus Sacramentorum absque Sacramentis. Quia videlicet miraculis, maxime verò circumstantiis, & prærogatiuis operantis, supplebat aliunde vim excitatiuam pietatis, quæ inest materiis, & formis Sacramentorum iuxta dicta supra in communi, quæst. 11. Vnde solo dignatus est uti per seipsum Sacramento Eucharistiæ, in quo solo ipse adest. Similiter Apostoli, si quando contulerunt effectum huius Sacramenti absque materia eius ordinaria, perque solam manuum impositionem, suppleuerunt defectum huius adminiculi piæ animorum excitationis, per miracula, & per visibilem illapsum Spiritus Sancti, ut tradit D. Thomas in dicto art. 2. ad 1. illud Actor. 2. 11. 15. *Cum cepisset loqui cecidit Spiritus sanctus super eos, sicut, & in suo initio*. Videtur verò probabilius, quod pluribus persuadent Bellarminus, Suarez, Valentia, Coninch, Auerfa in præfenti. Apostolos nunquam contulisse effectum huius Sacramenti, absque tota eius materia superius explicata, uti colligitur ex Patribus coætaneis, vel proximè successoribus Apostolorum Dionysio de Ecclesiæ Hierarch. cap. 4. Clemente Rom. lib. 7. Const. Apost. cap. 44. & 45. Fabiano Papa epist. 2. id licet restringat Diuus Thomas ibidem, ad collationem prædicti effectus, quando non simul exhibebant signa miraculosa suppletiva materiae ordinariæ.

Art. 2. Deinde, tum Apostolis à Christo Domino, tum aliis fidelibus Apostolis collatus est effectus huius Sacramenti interueniente semper aliqua re sensibili, eandem significationem præ se ferente, quæ conuenit chrismati ex oleo, & balsamo. Quia Spiritus sanctus descendit super Apostolos in specie linguarum ignis. Ignis autem, & oleum, quatenus est proximè ignibile, eodem referuntur, nisi quod in igne præualeat magis vis actiua, in oleo verò, vis passiva, atque efficacia linguae maiori vi sensum peruat, quam odor; atque Apostolis collatus est Spiritus Sanctus cum maiori actiuitate erga alios, quam cæteris fidelibus. Dictum similiter est, si quando Apostoli contulerunt effectum huius Sacramenti absque materia eius ordinaria, adhibuisse signa visibilia illapsus Spiritus sancti, quæ procul dubio aut excitatiua, ac instructiua animarum, ut minimum, quantum est idonea materia ordinaria, ad piæ excitationes, & instructiones animarum. Vnde, nec mirum, nec incredibile videri potest, quod Deus dispensauerit cum Apostolis, quoad obligationem adhibendi semper materiam ordinariam, atque pro cæteris ministris futuram vniuersaliter omnino necessariam, quandoquidem illis contulit potestatem ad alios mirabiles salutares effectus, quibus abundè supplerent defectum eius materiae.

Ad 2. Baptismus est multo magis necessarius ad salutem, quam Confirmatio, atque ordinatur directè ad solum bonum priuatum cuiusque, & ad vitam spirituales simpliciter, & secundum se cum Confirmatio superducat perfectionem redundantem in alios, per constantiam pugnae spiritualis cum aduersariis fidei. Ad significandum igitur additamentum istud perfectionis, oportuit materiam Confirmationis esse mixtam, ex liquore, & confortatiuo, & odorifero, cum ob rationem contrariam oportuerit materiam Baptismi esse simplicem. Ratione verò maioris necessitatis Baptismi, oportuit materiam eius esse magis obuiam.

obuiam. Verum, neque oleum simul, & balsamum sunt materia vsque adeo peregrina, vt adhibita diligentia moraliter possibili non possit vbique haberi in quantitate sufficienti. Quod ipsa experientia manifestè demonstrat. Quia ab initio nascentis Ecclesiæ omnibus temporibus reperire potuerunt eius ministri atque repererunt de facto, quantum absolute sufficeret, vt constat de primo quidem Ecclesiæ sæculo, ex locis nuper indicatis Dionysij, Clementis Romani, atque Innocentij I. de reliquo verò deinde cursu Ecclesiæ, tum ex Pontificibus semper exigentibus vbique eiusmodi materiam, tum auctoribus fide dignis perhibentibus apud Suarez, Bellarminum, & alios in præsentem repertam illam fuisse semper, quantum absolute sufficeret. Quare quod dicit Plinius, de raritate, & paucitate, balsami fuerit fortassis verum pro tempore antecedenti promulgationem Euangelij, sed post ipsam maior in pluribus partibus copia succreuit, atque modo reperitur etiam in Indiis satis abundanter. Deinde balsamum commodè, & facile transfertur de aliis in alias partes, atque modica eius quantitas sufficit pro magna olei quantitate.

Art. 1. Ad 3. Balsamum est maximè sensibile propter eximiam eius fragrantiam. Neque verò est vsque adeo difficultè discernibile verum à falso, propter eandem maximam sensibilitatem qualitatum, quibus præditum est. Accedit, pro Sacramentis licet, ac laudabiliter perficiendis sufficere discretionem materiæ legitimæ moraliter certam, ad quam obtinendam non requiritur peritia extraordinaria, sed sufficit, & diligentia, & peritia ordinaria, quæ in pluribus facile reperitur. Nulla igitur probabilis hinc ratio duci potest ad excludendum balsamum à materia necessaria huius Sacramenti.

Art. 2. Ad primam Confirmationem Innocentius 1. cautè expressit in eo loco, quod cautè fieri præscripsit. Nec enim determinauit præcisè, quidnam esset supplendum, sed solum dixit, quasi in genere, supplendum esse, quod fuisset omissum, & nihil esse iterandum. Quod verum est, siue fuisset omissum totum, seu, quod eodem recidit, fuisset omissum aliquid substantiale, siue fuisset omissum aliquid accidentale, pertinens ad solam solemnitatem Sacramenti. Quare nullum inde argumentum confici potest, circa qualitatem determinatam materiæ necessariae necessitate Sacramenti.

Art. 3. Ad secundam Confirmationem. Dum agitur de Sacramentis, deque aliis eiusmodi rebus, quæ constant ex pluribus partibus, nominata vna aliqua earum, eo ipso intelliguntur reliquæ partes, quantum, quatenus pertinentium ad totum, de quo est sermo, datur communis omnium, & vulgaris notitia. Hac igitur ratione illi Sancti PP. expresso oleo pro Chrismate Confirmationis; subintelligunt balsamum, sicut subintelligunt formam expressa sola vnctione, vt frequenter faciunt. Eadem ratione in actis Apostolorum, & alibi dum exprimitur manuum impositio, subintelliguntur forma atque vnctio olei cum balsamo. Qui modus loquendi est omnibus admodum familiaris breuitatis gratia. Quod attinet ad tertiam Confirmationem constat ex art. 3. responsionis ad quæstionem non significari sufficienter solo oleo totum effectum huius Sacramenti. Ad quartam. Sufficit pro eadem significatione, quod odor balsami admixti oleo peruat omnes eius partes, ideoque balsamum omnibus, & singulis eius partibus sit moraliter admixtum, licet aliquibus non admisceatur physice; ac deinde perficiatur nonnunquam Sacramentum absque contractu physico balsami. Si verò balsamum corrumperetur quoad substantiam, non perficeretur valide Sacramentum, eaque de causa præcipitur ab Ecclesia, vt rehouetur

R. P. de Espinosa Conf. Theol. Tom. II.

Chrisma quotannis. Nempe balsamum certissimè perseuerat per annum, tametsi exigua pars eius admixta fuerit, quia est difficilis corruptionis. Quod in quinta Confirmatione dicitur de priuilegio concessò à Paulo III. accidit quando balsamum Indicum nondum erat receptum in vsum communem Ecclesiarum pro isto Sacramento, idque solum efficit priuilegium Pontificium, nec peccaret Episcopus singularitate vsus materiæ nondum approbata, vel sensu communi, vel iudicio, & assensu Sedis Apostolicæ.

Art. 4. Ad postremam Confirmationem canon ille Araucanicus est valde obscurus, quia non satis constat, qualis determinatè esset abusus. Præsbyterorum vngentium baptizatos immediatè post baptismum, quem abusum prohibet Concilium imposterum. Intentio tamen Concilij colligi potest ex ordinationibus Leonis I. sub quo celebratum fuit illud Concilium, & Innocentij I. proximi, tametsi non immediati prædecessoris. Innocentius enim epist. 1. ad Decentium cap. 3. *Præsbyteris, ait, chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare. Quod solis debetur Episcopis cum tradunt Spiritum sanctum Paracletum.* Idem statuit distinctius Leo I. epist. 86. alias 88. dicens solis Episcopis non item Præsbyteris licere, vt dent Spiritum sanctum per manus impositionem, & vngant chrismate in fronte. Ex his igitur conici potest Araucanicum ex mente Pontificum prohibuisse, ne Præsbyteri vngerent baptizatos in fronte, quasi daturi Spiritum sanctum, sed vngerent in vertice, vt etiam fieri modo consuevit, atque ita reseruaretur Episcopis impositio manus, subintelligendo simul vnctionem chrismatis in fronte, quam itidem exprimit Leo. Quod ipsum est subintelligendum apud eos Sanctos PP. Quorum testimoniis perperam vtitur Sirmonius pro sua Concilij Araucanici interpretatione de collatione huius Sacramenti per solam Episcopalem manus impositionem longo vtunque post collatum Baptismum tempore, & vnctionem in fronte factam tunc à Præsbytero. Nempe illi Patres, sicut, & ipsum Concilium expressa manus impositione, complectuntur tacite vnctionem in fronte, vt nuper dictum est art. 3. Non nego tamen probabilem vtunque esse opinionem Caietani, & aliorum apud Franciscum de Lugo lib. 3. cap. 1. quæst. 1. de hoc Sacramento, dicentium ob argumenta, quibus modo satisfactum est solum oleum esse materiam essentialem, & sufficientem huius Sacramenti, atque balsamum esse necessarium sola necessitate præcepti.

Ad 4. Notatum supra est, quanta cum diuersitate tradat Concilium Florentinum mixtionem balsami pro hoc Sacramento, & mixtionem aquæ pro Sacramento Eucharistiæ. Reddita præterea est supra ratio conuenientiae, & necessitatis balsami, pro significando effectui proprio, & peculiari huius Sacramenti, quæ infra quæst. 56. reddetur ratio ob quam non sit vsque adeo eundem in finem necessaria mixtio aquæ, pro Eucharistiæ.

Ad 5. Patet ratio discriminis ex dictis supra ad quæst. art. 4.

Ad 6. Esto sit aliquatenus probabilis opinio Caietani dicentis, valide perfici hoc Sacramentum Chrismate benedicto per simplicem Sacerdotem, atque quorundam aliorum dicentium, summum Pontificem absolute posse eareus dispensare, atque delegare simplici Sacerdoti eiusmodi benedictionem, tenenda nihilominus est sententia communis contraria, quæ tradita est superius cum D. Thoma in hac q. 72. art. 3. Certè paritas ex potestate ordinaria conferendi Eucharistiæ, & delegata perficiendi hoc ipsum

K k 2

Sacra

Sacramentum, nihil conuincit. Quia potestas ad maius, & ad minus simul est maior, quam potestas solum ad maius. Patet autem non valere argumentum à minori ad maius affirmatiuè. Præterea consecratio præparatoria materiæ sacramentalis, habet vniuersalitatem quandam, quatenus materia inde remanet idonea vbi libet, & respectu cuiuslibet adhibetur ad perficiendum Sacramentum; ipsa verò perfectio Sacramenti est quid vndequeque indiuiduale, & restrictum; vt patet. Eiusmodi autem vniuersalitas, & amplitudo operationis, est propria Episcopalis dignitatis, vtpote vniuersalioris, ac amplioris ex sua natura, tametsi eadem operatio ex aliis titulis sit minus excellens. Iam Concilium Toletanum, vel nullam voluit superaddere nouam prohibitionem, sed solam de nouo intimare diuinam, supposito eam dari; vel loquitur, quod forte est probabilius de consecratione Chrismatis; quod soli deseruiret Baptismo. Hoc enim Chrisma potest valide consecrari à simplici Sacerdote, licet vt is illud consecret, sit contra ritum Ecclesiæ, ideoque merito potuerit prohiberi à Concilio.

Ad 7. Conceditur non esse de necessitate Sacramenti, vt in benedictione chrismatis obseruentur ea omnia, quæ habentur in rituali communi. Id quod supponunt communiter, vt certum Theologi in præfenti. Quapropter standum videtur communiori sententiæ dicenti, sufficere, quod ad valorem Sacramenti attinet, qualemque benedictionem Episcopi, cum inuocatione Spiritus sancti ad arbitrium ipsius, atque ritum determinatum communem Ecclesiæ esse necessarium sola necessitate præcepti. Nulla namque est sufficiens auctoritas, quæ cogat, aut iuuat ad dicendum aliud.

Ad 8. Certum est ex textibus ibi indicatis, oleum non benedictum semper infusum maiori quantitati Chrismatis benedicti, consequi eo ipso vim benedictionis, totumque manere æque benedictum. Quia post mixtionem omnes partes fiunt eiusdem moraliter rationis quoad ea quæ dependent ex denominatione extrinseca, & eatenus minor pars sequitur conditionem partis maioris ex intentione primitus benedictis, vel Ecclesiæ, & Christi. Eadem porro ratio est, si repetitis sæpius additionibus, tota quantitas superaddita euadat maior, quam quantitas primitus consecrata seorsim, dummodo singulis vicibus quantitas superaddita sit minor, qua tota quantitas immediate præexistens cum benedictione. Non autem est eadem ratio de additione vini consecrati ad accidentia vini consecrati. Quia in vino Eucharistico esse, vel non esse consecratum, non est denominatio extrinseca, & diuersitas penes aliquid purè intentionale, sed est diuersitas substantialis, & quoad esse physicum intrinsecum. Patet vero posteriorem istam diuersitatem non posse induci sola mixtione sicut potest induci prior diuersitas. Vnde nec paritas, nec ratio objectionis concludit eius intentum.

Q V Æ S T I O LIII.

Vtrum forma huius Sacramenti sit instituta determinatè à Christo Domino?

Videtur esse non instituta immediate à Christo Domino, sed inducta esse auctoritate, & electione libera Pontificum, aut inferiorum Episcoporum. Quia quæ sunt instituta à Christo Domino, semper, & vbiq; obseruantur vniuersimodè ab omnibus catholicis; & si secus fiat, sit nulliter; forma autem huius Sacramenti multipliciter, fuit & est varia, Primum

enim in edicto Constantini dicitur ipsum Constantinum, confirmatum fuisse à Syluestro sub hac forma verborum. *Signet te Deus sigillo fidei suæ in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti in cognitione fidei.* Deinde Ambrosius lib. 2. de Sacram. cap. vlt. formam huius Sacramenti dicit esse: *Deus qui te regenerauit, omnipotens, concessitque tibi peccata tua, ipse te vngat in vitam æternam.* Rursus Dionys. cap. 4. de Eccles. Hierarchia, Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 16. aliique SS. PP. solam adiungunt vnctioni orationem præuiam Episcopalem, quasi sufficiat qualicumque oratio, & petitio aduentus, seu infusionis Spiritus sancti, idque confirmat August. ex illo act. 7. 15. *Orauerunt pro ipsis, vt acciperent Spiritum sanctum ad-* dicens: *Quem morem in suis præpositis, etiam nunc seruat Ecclesia.* Præterea in Rituali antiquo, qui dicitur Ordo Romanus, habetur hæc forma: *Signa eos Domine signo Crucis. Ego te confirmo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Demum in Euchologio Græcorum hæc sola verba præferibuntur. *Signaculum Spiritus sancti,* eademque sola vsurpati in Ecclesia Græca, semperque vsurpata fuisse à Græcis omnibus catholicis constat ex Arcudio lib. 2. concordia cap. 6. 7. atque idem auctor, nec non Martinon, & alij in præfenti multis, & magnis argumentis ostendunt, formam istam Græcorum, sufficere pro valore Sacramenti. Hæc autem omnia differunt plurimum, tum inter se, vtpater, tum à forma, qua modo vtitur Ecclesia latina, vt mox patebit. Nullam igitur formam huius Sacramenti instituit determinatè Christus Dominus, immediate per se ipsum.

Art. 1. Respondetur. Eadem claritate, qua Concilium Florentinum expressit materiam remotam huius Sacramenti loco indicato in quæst. præcedenti initio exprimit etiam formam eius, dicens; formam autem est, *Signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Et quidem istam formam esse sufficientem pro valore Sacramenti, est certum ex fide, neque de hoc quisquam vnquam dubitauit, propter testimonium Concilij vsque adeo clarum, & propter vniuersalem vsum Ecclesiæ latinæ, & quia in hac forma continetur, ac exprimitur, quidquid habetur in reliquis formis, aut quasi formis nuper memoratis. Eandem quoad omnes suas partes esse necessariam necessitate Sacramenti, ita vt Sacramentum nulliter perficiatur, si nec formaliter, nec æquiuallenter adsit aliqua pars prædictæ formæ, communiter est Theologorum sententia cum D. Thoma q. 22. art. 4. Quod comprobatur efficaciter auctoritate Concilij dicentis, illa omnia verba indiscriminatim esse formam huius Sacramenti. Hoc enim verificari minimè posset, si aliqua pars non pertineret ad substantiam formæ, sed esset accidentaliter superaddita, sicut plura alia, quæ superadduntur in Rituali, de quibus verificari non potest, quod sint forma huius Sacramenti. Huc etiam redit ponderatio superius facta circa materiam, quod Florentinum in recensendis materiis, & formis Sacramentorum, sola ea & omnia expresserit, quæ pertinent ad eorum substantiam.

Art. 2. Rationem sufficientiæ, & necessitatis eius formæ, reddit optimam D. Thomas. Quia ea forma verborum est sufficiens, & necessaria pro vnoquoque Sacramento, quæ exprimit ea omnia, & sola, quæ pertinent substantialiter ad idem Sacramentum. Triam autem pertinent substantialiter ad Sacramentum Confirmationis, robur spirituale, ad formem, & constantem professionem fidei, per augmentum completum gratiæ baptismalis, deinde signum militiæ huius spiritualis; ac demum auctor, & causa vtriusque eius effectus. Robur spirituale significatur, dum dicitur *Confirmo te chrismate salutis.* Signum militare, seu caracte

characterem significant illa verba *signo te signo Crucis*. Authorem, & causam manifestant postrema particular. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Omnia igitur prædicta sunt necessaria ad valorem huius Sacramenti, eademque sola ad illud sufficiunt.

Art. 3. Oportuit verò, ut in hoc Sacramento significaretur explicite character, qui tantum implicite significatur in Baptismo. Quia Baptismus ordinatur principaliter ad vitam spiritualem baptizati, in se ipso; ideoque in eo Sacramento vita gratiæ exprimitur distincte, & solum implicite significatur character, utpote inexistens baptizato ad bonum priuatum ipsius, ideoque non manifestandus exterius seorsim, & secundum se. At character Confirmationis est ordinatus intrinsece ex sua natura ad pugnam exteriorē, cum ædificatione aliorum ex constantia confirmati, ideoque debuit expressius significari seorsim, sicut milites militiæ temporalis solent aliquo modo insigniri insignibus ducum, tametsi pro aliis Reipublicæ munitis non soleant adhiberi insignia vlla, oportuit similiter, ut in hoc Sacramento exprimeretur distincte materia eius, quæ in Baptismo significatur tantum implicite. Quia videlicet in Baptismo, verbum abluendi sufficienter significat aquam, quæ præ cæteris omnibus est ablutiua, atque adhibetur ad abluendum. Confirmatio verò ex sua natura potest fieri multiplici materia indifferenter, ideoque necesse fuit ut exprimeretur chrismā salutis, continens oleum oliuarum, & balsamum, quibus insunt in perfectissimo gradu qualitates habentes analogicam proportionem cum effectu, & sine huius Sacramenti, ut dictum est supra. Oportuit etiam, ut exprimeretur Sancta Trinitas, non solum ratione nuper indicata, magisque ponderata superius circa Baptismum, sed etiam, quia præcipuum mysterium fidei, propugnandum à milite Christi, est mysterium difficillimum, & altissimum Sanctæ, ac Individue Trinitatis. Oportuit denique, ut exprimeretur signum Crucis in quo nimirum Rex noster triumphauit, ut dicitur ad Coloss. 2. 15. eiusdemque Crucis alioquin ignominiosæ debet esse propugnator, & glorificator acerrimus athleta Christi.

Art. 4. Ex prædicta forma verborum apparet, materiam proximam Confirmationis esse actionem vngendi, per quam formetur signum Crucis in Confirmato, dum vngitur Chrismate. Quia si non adhibeatur vinctio Chrismatis, non verificatur pars illa formæ, confirmatio te chrismate salutis; si verò non formetur signum Crucis, ipsa vinctio, non verificatur illa altera pars formæ *signo te signo Crucis*. Necesse autem præterea est, ut vinctio, & signum Crucis expressum ipsa vinctio, fiat in fronte confirmati, idque est necessarium necessitate Sacramenti, ut docent communiter Theologi in præsentia, suadet efficaciter praxis vniuersalis Ecclesiæ, tum Latinæ, tum Græcæ, & habetur ex Florentino id disertè docente paulo post verba superius memorata, sicut etiam docetur in c. Presbyteris de consec. dist. 4. & in c. Vnico de Sacra Vinct. tametsi nonnulli cum Ledesma & Vichoria dicant absque vilo sufficienti fundamento, eam circumstantiam non esse necessariam necessitate Sacramenti, sed sola necessitate præcepti. Ratio ob quam signum Crucis debet fieri potissimum in fronte per vinctioem, traditur optimè à D. Thoma, q. 22. art. 9. Primò nimirum, quia Crux est signum militiæ spiritualis, atque signum debet esse manifestum, atque conspicuum. Frons autem est pars corporis maximè manifesta, ac conspicua. Deinde quia hoc signum adhibetur confirmato ad liberam, & constantem confessionem fidei, & nominis Christi, cui constantia, ac libertati opponitur timor, & verecundia. Frons autem est sedes vtriusque præcipua. Quia motus verecundiæ, & timoris primo, ac maiori impetu exurgit in fronte, propter maiorem

propinquitatem sensus communis, & phantasiæ, ex cuius imaginibus, ac repræsentationibus proueniunt carum passionum motus, & auocatio, ac reuocatio spirituum, ex quorum priori redundat pallor, indicans metum, & ex posteriori rubor, manifestans verecundiam. Rationabiliter ergo signum Crucis, vinctioe formatur in fronte, ut superatis metu, ac verecundia, defenatur fortiter gloria Crucis Christi, quæ est ludæis quidem scandalum, Gentibus verò stultitia, ut dicitur 1. ad Corinth. 1. Talis itaque est materia proxima huius Sacramenti.

Artic. 5. Inter materiam porro tam proximam, quam remotam, & formam, hoc præter alia discrimen intercedit, quod entitatibus olei oliuarum, & balsami, nullæ aliæ entitates æquiualeere possunt quoad vim sacramentaliter significandi. Quia vis eorum sacramentaliter significatiua, fundatur in conceptu specifico ipsorum, & in peculiaribus proprietatibus inde resultantibus, quæ necessariò sunt diuersæ in quibuscumque aliis entitatibus diuersis. Voces verò pertinentes ad formam, quia significant ad placitum, per denominationem ipsis extrinsecam, possunt materialiter, & entitatiuè esse diuinæ, quin propterea diuersificentur formaliter quoad significationem sacramentalem. Hinc fit, quod oleum oliuarum, & balsamum, vinctio, qualis nuper descripta est, variari nullatenus possit, quin eo ipso Sacramentum reddatur nullum. At voces possunt multipliciter variari, quoad materialem ipsarum entitatem, quin necesse propterea sit, ut Sacramentum euadat nullum; Erit enim nihilominus validum, si voces aliæ substitutæ vocibus ordinariis, superius propositis, ac expensis æquiualeant eisdem quoad significationem, vel ex primæua institutione, vel ex præsentibus circumstantiis, vel ex noua impositione sufficienter notificata fidelibus ante vsum sacramentalem ipsarum, uti notatum est etiam supra, circa Baptismum, iuxta doctrinam Florentini. Hac de causa merito censetur sufficiens ad valorem Sacramenti forma Græcorum superius proposita. Quia licet sit entitatiuè, & materialiter valde diuersa à forma Ecclesiæ Latinæ, æquiualeat nihilominus eidem formaliter, quoad vim significandi propter determinationem, quam ad id sortitur ex actione, aliisque circumstantiis exterioribus ministris, illam pronunciantis. Idem dicitur de aliis quibusvis verborum simulis similiter æquiualentibus, ideoque sufficientibus ad valorem Sacramenti, insufficientibus verò, si non ita æquiualeant. Ex his apparet multipliciter materiam formarum huius Sacramenti nequaquam probare non fuisse à Christo Domino institutam formam eius. Certissimè enim instituta ab ipso est forma, non minus, quam materia, quales superius declaratae sunt. Constat enim ex definitione Concilij Tridentini præmissa supra in communi q. 34. art. 1. omnia nouæ legis Sacramenta, atque adeo materias, & formas ipsorum, esse instituta à Christo Domino, licet de nonnullis non constet determinatè ex sacris litteris, sed ex sola traditione, quæ tamen perinde valet iuxta obseruationem præmissam quæst. 5. initio.

Art. 6. Ex his patet sufficienter ad rationem dubitandi, nisi quod circa modum, qui antiquiores PP. innuunt formam huius præsertim Sacramenti, notare oportet cum D. Thoma art. illo 4. cumque aliis ibidem communiter, veritos illos fuisse, ne proderent infidelibus mysteria nostræ fidei, ideoque obscurius, ac diminutè nonnunquam promere verba necessaria, ac sufficientia ad valorem Sacramenti, ut apparet inter alia ex verbis Dionysij, quæ refert D. Thomas vbi supra ex lib. de Ecclesi. Hierar. sine Consummatius inuocationes (verba quibus perficiuntur Sacramenta) non est instum scripturam interpretantibus, neque

myſticum earum, aut in ipſis operatas ex Deo virtutes ex occulto ad commune adducere, ſed noſtra ſacra traditio ſine pompa (occulte) eas docet. Idem indicat Innoc. I. epiſt. 1. ad Decentium cap. 3. ubi agens de forma huius Sacramenti, ſubdit. *Verba dicere non poſſum ne magis prodere videar, quam ad conſultationem reſpondere.* Virique præiuit exemplum Apoſtoli 1. ad Corinth. 1. 34. ubi agens de myſterio Eucharistiæ cætera, inquit, *cum venero diſponam.* Nampe, quæ non expediebat ſcripto docere palam, ſed ſecretius tradere in colloquio priuato cum fidelibus, ac deinde propagare per traditionem.

QVÆSTIO LIV.

Virum ſolus Episcopuſ ſit Miniſter idoneuſ Confirmationis?

Videtur non eſſe 1. Quia Gregorius Magnus monitus ſcandalizatos fuiſſe quosdam, in Sardinia, propter prohibitionem ab ipſo factam, nequis præter Episcopos confirmaret; reſpondet. *Nos quidem ſecundum veterem uſum noſtra Eccleſia fecimus, ſed ſi omnino, hac de re aliqui contriſtantur ubi Episcopii deſunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos chriſmate tangere debeant, concedimus.* Ita reſertur cap. Peruenit. 95. diſt. ex lib. 3. epiſt. D. Greg. 26. fine; non autem potuiſſet permitti Presbyteris hoc miniſterium, ſi eſſet de neceſſitate Sacramenti, ut Episcopii confirmarent.

2. Effectus Confirmationis non eſt maior, ſed longè minor, quam effectus Baptiſmi; quandoquidem Baptiſmus remittit peccata omnia quoad culpam, & totam pœnam. Confirmatio verò ſolam confert gratiam quam etiam confert Baptiſmus. Ergo miniſter Confirmationis non eſt dignior, quam miniſter Baptiſmi, cuius miniſtrum ordinariuſ eſſe ſimplicem ſacerdotem conſtat ex dictis ſupra.

3. Simplex Sacerdos poteſt, ex vi ſui ordinis perficere Sacramentum Eucharistiæ quod eſt nobiliſſimum inter omnia Sacramenta; ergo multo magis perficere poteſt Sacramentum Confirmationis, quantum eſt ex natura, & dignitate ipſius; ergo quod ſoli conſignent Episcopii non poteſt eſſe neceſſarium, niſi ſola ad ſummum neceſſitate præcepti, ut docet Caietanuſ in hac q. 77. art. 9. & Act. 8. Confirmatur ex Auguſtino lib. 99. noui & veteris teſtamenti 101. dicente, *In Alexandria, & per totam Egyptum, ſi deſit Episcopuſ conſignat Presbyter: alias conſecrat.* Similiter Hieronym. dial. contra Lucifer. affirmat, *non ad legis neceſſitatem, ſed ad Sacerdotis honorem pertinere, quod baptizati deferantur ad Episcopos, ut illis manus imponant.* Confirmatur ruruſ validius ex Concil. Tolet. 1. cap. 20. *Statutum eſt ait, Diaconum non chriſmare, ſed Presbyterum, abſente Episcopio; præſente verò non niſi ab ipſo fuerit præceptum, & ſerè idem ſtatuitur in concilio Hiſpalenſi 2. c. 2.* Igitur Episcopuſ eſt neceſſariuſ ad perficiendum hoc Sacramentum ſola neceſſitate præcepti idque non ubique, nec omni tempore.

4. Quod conuenit miniſtris Eccleſiæ ex vi ſui ordinis, ubique, & quandolibet, pro quibuſvis circumſtantiis validè præſtari ab eis poteſt. Episcopuſ autem nequit validè confirmare extra ſuam diœceſim, ſicut nec ordines Sacros validè extra illam conferre poteſt; Qui verò eſt hæreticuſ, nullibi validè confirmat. Quæ quidem poſterior pars docetur clare ab Ioann. I. epiſt. 18. cap. 3. dicente de hæreticis: *Eis ſolum baptiſma ratum eſſe permittimus.* Et iterum. *Nec dare Spirituſ ſancti plenitudinem poſſunt, quam per impietatis ſua perſidiam perdiderunt.* Idem docent alij duo Pontifices Leo, epiſt. 35. c. 2. & Euſebiuſ epiſt. 3. ſub finem, & tanquam indubitatum ſupponitur à Cy-

priano Epiſt. 72. maxime verò Epiſt. 24. Nec caret hæc doctrina fundamento in Con. Arclat. I. can. 8. & Arclat. I. c. 17. præſcribentibus, ut redeuntibus ab hæreſi, ad Eccleſiam, recipiatur per manus impoſitionem, qua confertur Spirituſ ſanctuſ; idemque præſcribit Auguſt. lib. 2. de Bap. 7. & lib. 5. c. 23. Ergo Episcopuſ non eſt miniſter ordinariuſ huius Sacramenti ex vi ſui ordinis.

5. Si Episcopuſ eſſet miniſter neceſſariuſ Confirmationis neceſſitate Sacramenti, ſeu ex institutione Chriſti nulli alij inferioriſ conditionis, etiam Presbytero poſſet committere ſummus Pontifex, ut conferret hoc Sacramentum. Sequela eſt legitima, quia nequit ſummus Pontifex ſubſtituere vllam aliam materiam aut formam, materia, & formæ inſtitutis à Chriſto domino. Perſona autem miniſtri requiritur ad Sacramentum, & pertinet ad eius ſubſtantiam non ſecus, ac materia, & forma, dicente vniſormiter Concilio Florentino, Sacramentum nouæ legis tribuſ perfici, materia, forma, & miniſtro, quorum ſi aliquod deſit non perficitur Sacramentum, ut ponderatum eſt ſupra in communi quæſt. 3. & 4. ac proinde non magis poteſt Pontifex miniſtrum diuerſæ conditionis, ſubſtituere miniſtro inſtituto à Chriſto, quam materiam materia, aut formam formæ. Conſequens autem eſt abſurdum, ut patet inter alia ex Gregorij exemplo nuper indicato.

Art. 1. Reſpondetur: Solos Episcopos eſſe miniſtros ordinarios Confirmationis definitur expreſſe à Concilio Florentino in §. ſapè indicato *ſecundum Sacramentum* nec non à Tridentino ſeſſ. 7. can. 3. *de Confirmatione*, ſeſſ. 23. cap. 4. cum præmiſiſſet Episcopos eſſe Apoſtolorum ſucceſſoreſ, & poſſe Sacramentum Confirmationis conferre, miniſtroſ Eccleſiæ ordinare, aliasque plureſ functioneſ exercere, *Quorum ſubdit, poteſtatem reliqui inferioriſ ordinis nullam habent,* atque can. 7. definit ſimiliter poteſtatem confirmandi non eſſe Episcopis cum Presbyteris communem. Certum igitur omnino eſt ſolos Episcopos eſſe miniſtroſ ad hoc Sacramentum perficiendum neceſſarioſ; ita ut nulluſ aliuſ, validè illud perficere poſſit, ſaltem de iure ordinario. Confirmatur ex Act. 8. & 19. ubi impoſitio manuum, quæ vel erat coniuncta cum hoc Sacramēto, vel loco eius adhibebatur ſolis reſeruatur Apoſtoliſ, qui erant Episcopii collatione Baptiſmi aliis inferioribuſ permiſſa. Quod autem hoc fieret, ex ſolo arbitrio, ſeu præcepto ipſorum Apoſtolorum, aut ob defectum aliorum Presbyterorum, qui non eſſent Episcopii, nullo fundamento ſufficienter ſuadetur, atque communis traditio ſemper tenuit, ac tenet. Apoſtoloſ ratione Episcopatuſ fuiſſe miſſoſ ad confirmandoſ fideleſ, atque hanc functionem eſſe priuatiuè propriam graduſ Episcopaliſ, ut apparet inter alioſ ex Dionyſ. cap. 2. Eccleſiaſtica Hierar. Clemente lib. 3. conſtitit cap. 16. & epiſt. 4. Auguſt. lib. 15. de Trinit. cap. 26. lib. 99. noui Teſtam. 42. Ratio ob quam oportuit, ut tanta dignitate miniſtri conſuleretur dignitati huius Sacramenti, ex institutione Chriſti Domini deſumitur ex eo, quod in quolibet opere præſertim eximio vltima eiſ perfectio, & conſummatio reſeruatur ſupremo Artifici, qui vltimam manuſ illi adiciat; Confirmatio autem eſt vltima perfectio, & complementum conſummatiuiſ Baptiſmi, operiſ proculdubio maxime eximij. Quia cum Baptiſmuſ conferat totalem remiſſionem omnium peccatorum, & transferat ab ſtatu inimicitiaſ ad ſtatum amicitiaſ Dei; Confirmatio ſuperaddit plenitudinem Spirituſ ſancti, ut liquet ex Act. 8. Vnde Urbanuſ I. in epiſt. ad omneſ Chriſtianuſ vtr habetur c. omneſ fideleſ de conſ. diſt. 5. *Omneſ fideleſ ait, per manu� impoſitionem Episcoporum, Spirituſ ſanctum poſt Baptiſmum accipere debent, ut plenè Chriſtiani inueniantur.* Meritoſ, ergo reſeruata eſt Confirmatio ſolis Episcopis, qui ſunt

sunt supremi Dei ministri, & quorum propria est virtus perfectius fidelium vt tradit inter alios Dionysius, vbi supra, nec vlli alij permittitur, vt illam validè perficiat præcisè ex vi ordinis, & cuiuscunque gradus inferioris in Ecclesia.

Art. 2. Hoc tamen non tollit, quin simplex Sacerdos validè perficere possit hoc Sacramentum, ex commissione extraordinaria Summi Pontificis, dispensantis eatenus in iure ordinario vrgenti graui aliqua necessitate. Id quod abundè probatur ex facto magni Gregorij producto in prima ratione dubitandi. Confirmatur efficaciter ex approbatione eius facti relatione, quæ habetur apud Concilium Florentinum in illo *§. secundum Sacramentum*, his verbis legitur tamen aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem, ex vrgenti admodum causa, simplicem Sacerdotem Chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse Confirmationis Sacramentum. Videtur præterea dubitari minimè posse, quin idem Concilium, & postea Tridentinum, hac intentione notanter dixerint, Episcopum esse ministrum ordinarium huius Sacramenti, nempe, vt innuerent, extraordinarium ex commissione, Presbyterum quoque esse posse. Id quod, tanquam indubitatum supponit Concil. Senon. in decretis motum cap. 38. dicens: *Si qui sint, qui contendunt sibi competere facultatem confirmandi ex privilegio; volumus quod cum primum fuerint requisiti de privilegio fidem facere teneantur.* Adde Arcudium lib. 2. de Sacram. cap. 10. & sequentibus, & maximè cap. 15. pluribus exemplis commonstrare Summos Pontifices olim, & nuper, tum tacite, tum expressè permisisse, ac concessisse, vt simplices Sacerdotes cõferant Sacramentum Confirmationis. Neque verò dici absque manifesta, atque omnino reprobanda temeritate, & absurditate potest, Pontifices nulliter id permisisse, ac concessisse eo, vel maximè, quia ratio æquitatis, & congruentiæ, efficacissimè persuadet, vt Summo Ecclesiæ Pastori concederetur hæc facultas à Christo Domino, eandemque esse comprehendam in amplissima, & latissimè parenti commissione ista; *Pasce oves meas.* Quid enim magis ad hanc pasturam pertinet, quam Sacramentorum administratio, & quid ad hanc ipsam administrationem magis necessarium esse potest, quam copia ministrorum, & quid manifestius esse potest, quam copiam istam, aliquando, & alicubi, defuturam fuisse pro Sacramento omnibus fidelibus communi, si nunquam vllibi substitui possent Presbyteri Episcopis, quorum copia, & adhibitio ad hoc ministerium, fieri facile potest, vt desint in aliquibus Proinciis Christianis, ne sine magno incommodo inducente impossibilitatem, vt minimum moralem, prouideri illis possint. Ob hæc dicitur: Sacramentum Confirmationis magna veneratione tenendum est, vt dicit Eusebius Papa in illa Epist. 3. ad Episcopos Thufciæ; & Melchides Papa in epist. ad Episcopos Hispaniæ, proptereaque irritum, & vacuum habendum est Sacramentum, si perficiatur ab alio, quam ab Episcopo, præterquam ex concessione Summi Pontificis, idque cum causa admodum vrgenti, vt dicebat nuper Florentinum. Obserua in fine Episcopum confirmare, iuxta morem antiquum totius Ecclesiæ, & iuxta Rituale Pontificum, vngendo dextero pollice in fronte, & propterea hunc ritum prætermitti non posse absque peccato graui. Cæterum ad valorem Sacramenti sufficit, & omnino requiritur, vt vngat manu propria, siue dextera, siue sinistra, & siue pollice, siue alio digito. Requiritur quidem; quia manus impositio est essentialis huic Sacramento, vt apparet ex Actibus Apostolorum, aliisque testimoniis superius indicatis. Manus autem impositio intelligi non potest propriè, & absque figurata locatione, quin detur contactus immediatus inter manum confirman-

tis, & confirmatum. Sufficit verò, quia nullum vllibi reperitur sufficiens fundamentum ad restrictionem contrariam, siquidem per quemcunque contactum immediatum vtriusvis manus super caput confirmati, verificatur omnino impositio manus.

Ad 1. Ex facto illo Gregorij sola comprobatur potestas Pontificia, iam sponte concessa, atque aliunde vltèrius confirmata ad dispensandum, nec est vllum inconueniens aliquem determinatum gradum ministri esse necessarium necessitate Sacramenti, nisi interueniat dispensatio legitima, eundemque non esse ita necessarium eadem interueniente.

Ad 2. Maximum malum est exclusiuium totius boni, atque adeo est impossibile cum bono, etiam minimo. Vnde infimus gradus bonitatis est sufficiens ad excludendum maximum malum. At ad excludendas minores imperfectiones, requiritur longè maior, & absolute maximus cumulus bonitatis. Hac de causa, quilibet cuius mediocrium facultatum sufficit ad liberandum pauperem à suprema miseria, ne fame pereat; vt verò idem affluat deliciis non sufficit, nisi Princeps maximatum facultatum. Quapropter Confirmatio conferens plenitudinem Spiritus sancti, & superaddens viuificationis spiritualis robur, & complementum virium ad pugnandum fortiter vsque ad mortem, deprehenditur esse perfectionis longè maioris, quàm sit Baptismus, qui solum liberat à morte animæ. Mirum igitur non est, quod reseruetur ministro longè excellentiori, sed de hac comparatione redibit iterum sermo quæst. 56.

Ad 3. Minister Confirmationis subordinat sibi confirmatum dum illi manus imponit tanquam Dux militiæ spiritualis, eumque eidem militiæ adscribit, & donat robore ad pugnandum necessario. Minister verò Eucharistiæ, licet præstet ministerialiter, ac instrumentaliter effectum incomparabiliter maiorem, nullam tamen eiusmodi auctoritatem exercet circa vllam personam. Hac igitur de causa necesse est, vt minister Confirmationis sit altioris gradus in Ecclesia, quàm minister consecrans Eucharistiam. Quæ etiam ratione quilibet Sacerdos licitè consecrat, solus verò Parochus licitè baptizat extra causam necessitatis. Locus ille Augustini, seu quis alius Auctor est, nihil probat; quia Aegyptij non agnoscebant Sacramentum Confirmationis, sed solam adhibebant vñctionem caremonialem in Baptismo solemnī, vt notat Suarez ex Valdensi. Hieronymus non negat Confirmationem esse reseruata Episcopis iure Diuino, sed solum assignat rationem reseruationis ex honore sacerdotis negata necessitate ita statuendi quantum est ex natura ipsa rei secundum se. Concilium Toletanum, & Hispanense loquuntur de sola vñctione caremoniali baptizati in vertice, quæ olim à solis Episcopis fieri solebat, ideoque ibi prohibetur Presbyteris. Quod hic nonnulli præterea opponunt Ananiam, nec Episcopum, nec Sacerdotem Christi imposuisse manus Paulo, vt impleretur Spiritu sancto, prout habetur Act. 9. non est ad rem. Quia Paulus nondum erat tum baptizatus, ideoque Sacramentum Confirmationis recipere non potuit. Vnde illa manuum impositio fuit solum curatiua ad restituendum visum Paulo, vt factum esse ibi narratur iuxta illud Marci ult. *Super agros manus imponent, & benè habebunt.* Quod si præterea datus illi est Spiritus sanctus cum plenitudine gratiæ dicendum est illum recepisse effectum Sacramenti absque Sacramento vti dictum est superius de reliquis etiam Apostolis, nisi quis credere velit Ananiam iam tunc fuisse Episcopum, quod non parum inclinat Suarez, sed non assequor fundamentum eius.

Ad 4. Quilibet Episcopus, siue Catholicus, siue hæreticus, dumodo sit verus Episcopus, vbi libet, & quando libet validè confirmat, eadem ratione, qua quilibet

alius vbi libet valide baptizat. Textus, qui afferuntur in contrarium, exponuntur luculenter à Suar. disp. 36. sect. 6. obseruato more antiquo reconciliandi hæreticos per Episcopalem manuum impositionem, quando ab hæresi redibant ad Ecclesiam Catholicam, siue essent prius baptizati, & confirmati, siue nec confirmati, nec baptizati prius fuissent, immò etiam si baptizati, & confirmati inter Catholicos, & dum erant Catholici, fuissent. Itaque illa manuum impositio erat purè reconciliatiua re ipsa, licet fieret sub imagine penitentiae, & inuocatione Spiritus sancti, vt loquitur Innocentius in illo eodem loco. Vnde quod idem Innocentius dicit solum baptismum tantum esse hæreticis, significat solum baptismum licitè ministrari ab hæreticis, propter specialem eius necessitatem. Quod deinde superaddit plenitudinem Spiritus sancti dari non posse ab hæretico, qui illam perdiderat non reicit valorem Sacramenti, sed illum ipsius effectum, quem assequi non potest, qui absque necessitate confirmatur ab Episcopo hæretico, quia eo ipso grauiter peccat. Vel dicatur, quod non est improbable: Innocentium, sicut, & Leonem loqui de hæreticis, apud quos nulli essent veri, ac legitimi Episcopi. De Cypriano dictum est iterum alicubi supra, & in hac re non agnoscitur eius auctoritas, quia negas valorem, etiam Baptismi collati ab hæretico.

Ad 5. Cum Pontifex committit Presbytero ministerium confirmandi, non substituit ministrum non institutum à Christo, loco ministri instituti ab eodem. Quia tam Episcopus, quam inferior Presbyter sunt instituti à Christo Domino, quod colligitur sufficienter, ex facto ipso Pontificum, & ex approbationibus Conciliorum superius pòderatis, licet diuersimodè instituti sint. Nempe Episcopi absolute, & ex vi ordinis sui; Presbyteri verò inferiores conditionatè tantum, si delegentur ad id à Summo Pontifice, idque vrgenti aliqua graui necessitate. Mouere verò neminem debet, quod nulla eiusmodi exstet institutio Diuina circa materiam, aut formam vllius Sacramenti. Quia nulla Deum necessitas constringit, vt de omnibus conformiter disponat, nec rationes disponendi occurrunt eadem penitusque similes circa omnia.

QVÆSTIO LV.

Virum omnis, & solus baptizatus sit subiectum idoneum Confirmationis?

Videtur quod nec omnis, nec solus baptizatus sit capax Confirmationis. 1. Quia quicumque possunt, & tenentur pugnare, debent instrui armis ad pugnandum idoneis. Possunt autem, & tenentur pugnare pro fide, & Cruce Christi, etiam Neophyti nondum baptizati, atque plures ante Baptismum heroicè pugnando, vsque ad mortem, consecrati sunt triumphum gloriæ absque Baptismo. Ergo omnes etiam nondum baptizati debent præmuniri Sacramento Confirmationis, per quod datur virtus, ac robur ad pugnandum pro fide, & Cruce Christi.

2. In die Pentecostes, quando descendit Spiritus sanctus super Discipulos, cui descensui correspondet Sacramentum Confirmationis, vt dictum est supra, omnibus habitantibus in ea domo datus est Spiritus sanctus, vt patet ex Act. 2. initio. *Et repleuit totam domum ubi erant sedentes*, atque iterum: *Et repleti sunt omnes Spiritu sancto*. Plures autem ex illis nondum erant baptizati certè non omnes illi erant baptizati, de quibus dicitur Act. 10. 44. *Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant ver-*

bum; siquidem leguntur postea baptizati. Ergo non soli baptizati sūt capaces plenitudinis Spiritus sancti, & consequenter Confirmationis, per quam illa datur.

3. Qui sunt inhabiles ad pugnandum, sunt etiam incapaces virtutis, & roboris ad pugnandum. Pueri autem, & amentes, & feminae, maximè verò moribundi sunt inhabiles ad pugnandum. Ergo iidem, tametsi baptizati sint, sunt incapaces Confirmationis, vt pote instruendis virtute ad pugnandum; dicente Melchiade Papa in Epist. ad Episcopos Hispaniæ: *Post Baptismum confirmamur ad pugnam*.

4. Idem Melchiades ibidem excludit specialiter moribundos ab hoc Sacramento, dum dicit: *Quamuis continuo transitis sufficiens regenerationis beneficia; videtur tamen Confirmationis auxilium necessaria sunt. Quia Confirmatio armat, & instruit ad agones mundi huius, & praelia reseruandos. Qui autem post Baptismum cum acquisita innocentia immaculatus peruenit ad mortem, confirmatur morte. Quia iam non potest peccare post mortem*. Ergo moribundi, tametsi baptizati prius fuerint, confirmandi nequaquam sunt.

5. In Pontificali Romano præcipitur sic: *Nullus Christianis fidei documentis non edoctus, ingerat se ad percipiendum hoc Sacramentum Confirmationis*. Ergo ad suscipiendam Confirmationem non sufficit esse baptizatum, sed requiritur præterea hæc vt minimum dispositio peritiæ documentorum fidei, vt scribè in iungit S. Carolus Borromæus in decretis medio lib. 3. de vnct. tit. 27. cap. 31.

Respondetur. Certum est omnes, & solos baptizatos, esse capaces Sacramenti Confirmationis valide suscipiendi. Solos quidem, quia Baptismus est ianua Sacramentorum, vt dictum est supra, & quia robur ad pugnam, quod confertur per Confirmationem; necessariò præsupponit sua natura vitam, quæ datur per Baptismum, vt etiam dictum est supra. Omnes verò, quia omnes fideles per manus impositionem Episcoporum debent Spiritum sanctum post Baptismum accipere, vt dicitur in can. omnes de consecr. dist. 5. Confirmatur ex vsu perpetuo Ecclesiæ, quæ diuersis temporibus consuevit conferre hoc Sacramentum omnibus indiscriminatim baptizatis, siue paruulis, siue adultis. Confirmatur rursus, quia Confirmatio est Sacramentum perfectiui Baptismi, vt dictum est supra. *Dei autem perfecta sunt opera*, vt dicitur Deuter. 32. 4. Ergo de intentione Dei est, vt quicumque per Baptismum, accipit vitam spiritualem, per Confirmationem perducatur ad plenitudinem spiritus, sicut est & de intentione naturæ, vt quicumque corporaliter nascitur, perducatur ad ætatem perfectam. Omnis igitur, & solus baptizatus, dum est in via, est subiectum capax Confirmationis.

Ad 1. Sicut, qui nondum accepit sensibiliter initium vitæ spiritualis per Baptismum potest nihilominus, cepisse spiritualiter viuere per actum dilectionis Dei supra omnia, absque vllò sensibili signo vitæ re ipsa adhibito; ita potest absque vllò Sacramento accipere à Deo auxilia interiora gratiæ, quibus pugnare fortiter possit pro fide, & pro Christo, eaque Deus omnibus confert indiscriminatim, quantum absolute sufficit data opportunitate pugnandi. Caterum sicut nemo potest fortiter pugnare pro Christo per auxilia interiora gratiæ, quin prius conuertatur interior ad Deum per alia priora auxilia gratiæ Dei, ita non potest sensibiliter accipere virtutem, & robur ad pugnam spiritualem quod sit per Confirmationem, quin prius acceperit sensibiliter vitam spiritualem, quod sit per Baptismum, eo itaque modo debet vnusquisque instrui ad pugnam, quo potest, & tenetur pugnare; nempe, vel sensibiliter, vel insensibiliter.

Ad 2. Dici potest illos, qui nondum erant baptizati, accepisse Spiritum sanctum cum plenitudine gratiæ sicut

sicut accipiunt, qui iustificantur ante Baptismum per feruentem dilectionem Dei super omnia, non tamen accepisse effectum adequatum Sacramenti Confirmationis, quia non acceperunt characterem, qui est proprius eius effectus, ideoque mansisse capaces huius Sacramenti, sicut & Baptismi, quem postea susceperunt, sicut etiam fortassis susceperunt Confirmationem, licet huius susceptio, non exprimitur seorsim, sed subintelligatur tacite sub expressione susceptionis Baptismi, quatenus confirmatio ex sua natura est perfectio, & complementum Baptismi. Dici deinde potest eos, qui in die Pentecostes, erant simul cum Discipulis recepisse totum effectum huius Sacramenti, absque ipso Sacramento, ideoque mansisse incapaces illud deinde suscipiendi, id tamen factum esse præter legem ordinariam ex privilegio speciali, volente Deo operari pro ea vice independentem ab instrumentis sensibilibus, quod iuxta providentiam suam ordinariam non operatur, nisi per eadem instrumenta. Quo plurimum inclinat Greg. Naz. orat. 24. dicens, illo facto ostendisse Spiritum sanctum se esse Deum, & gratiæ Dominum, *qui in quos, & quando, & quantum voluit, spiravit*. Vtrumvis horum, probabiliter dicitur, & neutrum vlla ex parte contradicit conclusioni posita, quæ videlicet procedit de lege ordinaria, & secluso miraculo, seu privilegio Dei speciali. Prior tamen responsio videtur aliquanto probabilior, quatenus exceptiones legis universalis Divinæ, dum efficaciter non probantur, merito reprobantur.

Ad 3. Quod ad pueros attinet, tametsi pugnare non possint, dum earent usu rationis, possunt nihilominus armis spiritualibus instrui ante eundem usum rationis, ut eo accedente pugnare fortiter possint. Nec enim necesse est, aut etiam expediens differre provisionem muniminis, & armorum, usque ad tempus conflictus. Deinde infantibus commune est cum perpetuo amentibus, necnon cum moribundis, ut ex hoc Sacramento percipiant, magnum augmentum gratiæ, & consequenter maiorem gloriæ cumulum, si decedant deinde sine nouo peccato, utque compareant in Regno Cælorum insigniti, ac nobilitati characterem, & insignibus militum Christi. Denique fœminæ non excluduntur à militia spirituali, sicut à temporalis. Quia in Cælestibus, omni persona, & ætatis, ac sexui indifferenter facultate stadium patet, ut dicit Chrysostomus Homil. de Machabæis ante medium. Omnibus igitur prædictis conuenienter confertur istud Sacramentum.

Ad 4. Melchiadis intentio in illis verbis est; moribundis non ea ratione esse necessarium Sacramentum Confirmationis, quia idem necessarium est diutius victuris. Cæterum superest alia ratio vtriusque communis, ut patet ex modo dictis, ob quam etiam mox morituris conferri debet hoc Sacramentum, si commodè fieri possit, ut videlicet in resurrectione appareant perfecti, & ætatis spiritualiter prouectæ, ac plenæ, iuxta illud ad Ephes. 4. 13. *Donec occurramus omnes in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi*. Tum etiam ut moribundus fortius pugnare possit in illo articulo, in quo aduersarius communis præcipuo conatu omnes suas vires exerit, præsertim aduersus constantiam in fide, quæ est salutis fundamentum.

Ad 5. Consuetudo antiqua aliquando fuit conferendi hoc Sacramentum, etiam pueris ante usum rationis, immediate post Baptismum. Deinde verò inualuit consuetudo non conferendi ante septennium. Quando incipit illucescere usus rationis, atque hoc posterius obseruandum modo est, saltem ut plurimum, uti docent Auctores communiter in præsentis, quia hæc est iam consuetudo communis Ecclesiæ, & ita præscribitur in Rituali Romano. Quod attinet ad

naturam rei secundum se, vtrumque nititur ratione valde probabili. Quia quoad priorem consuetudinem, pueri ante usum rationis tutissimè carent fictione impediens effectum Sacramenti, quoad augmentum gratiæ, eiusdemque fictionis periculo sunt obnoxii, qui sunt compotes rationis. Expediit etiam acquirere plenitudinem gratiæ, & insigne militiæ Christi cum primùm fieri potest, maxime cum contingat plures decedere ante usum rationis, æternumque consequenter carere eo augmento gloriæ substantialis, & accidentalis, si prius confirmati non fuerint, atque exempti à periculo tanti nocimenti. Quoad posteriorem verò consuetudinem maior in primis videtur esse reuerentia Sacramenti, si non admittatur ad ipsum, qui non est compos rationis, nec reuerenter ad ipsum accedere potest propria fide, ac dispositione præuentus. Deinde ratione huius ipsius dispositionis peculiaris maior gratiæ cumulus confertur adulto virtute Sacramenti, iuxta dicta supra in communi, & in particulari circa Baptismum. Præterea efficacius imprimatur animo confirmati, si sit adultus, quod ei dicitur ab Episcopo, dum alapa caditur se deinceps pro nomine Iesu contumelias libenter pati debere. Non enim ita excitat ad hilarem patiendi constantiam, si ab alio postea ea de re instruitur. Denum tutius vitatur periculum iterationis huius Sacramenti, si iam compos rationis illud suscipiat. Nempe non ita præsumitur omnes Christianorum filios esse confirmatos, sicut præsumitur esse baptizatos, propter maiorem necessitatem Baptismi; ideoque est maius aliquod periculum iterandi Confirmationem, si ipse confirmatus meminisse non possit de susceptione huius Sacramenti. Quia verò posteriores istæ rationes, sunt ponderis aliquanto maioris, conuenienter inualuit magis consuetudo illa posterior, & parendum est ordinationibus, quæ proponuntur in obiectione saltem cum non adest ratio aliqua specialis in contrarium, maxime periculum carendi Confirmatione in perpetuum.

QVÆSTIO LVI.

Vtrum Confirmatio imprimat characterem, & conferat gratiam?

Videtur neutrum præstare. 1. Quia character est signum distinctiui eius, cui imprimatur, ab aliis. Confirmatus autem à nullis aliis distinguitur, seu discernitur ex vi huius Sacramenti. Quia ab Infidelibus supponitur iam discretus per Baptismum; à fidelibus verò discerni non debet, quia Confirmatio omnibus fidelibus, debet esse communis, ut nuper dictum est.

2. In Circumcisione non imprimebatur character spiritualis, quia ipsa circumcisio erat character corporalis. In Confirmatione autem, imprimatur similiter character corporalis, siquidem confirmatus signatur signo Crucis, dum vngitur chrismate in fronte, ut dictum est. Ergo Confirmatio non imprimit characterem spirituale.

3. Per Sacramenta non confertur specialis gratia absque speciali fine, ad quem illa ordinetur. Confirmatio autem non ordinatur ad finem aliquem specialem. Quia professio fidei & Crucis Christi est communis omnibus baptizatis, atque ad eam ordinantur ex vi Baptismi. Ergo Confirmatio non confert gratiam.

Art. 1. Respondetur. Sacramentum Confirmationis imprimat characterem, & confert vberissimum augmentum gratiæ habitualis cum iure auxiliorum actualium gratiæ, proportionaliter efficacium, ad fortem, ac constantem professionem fidei, & nominis Christi,

Christi, pro qualibet opportunitate fortiter pugnandi pro ea causa. De impressione characteris constat ex clara definitione Florentini in Decreto Eugenij §. hac omnia, & Tridentini sessione 7. can. 9. de Sacramentis in genere. Idem Sacramentum conferre gratiam, constat ex Doctrina vniuersali tradita supra in communi quæst. 19. Quod Sacramenta nouæ legis omnia conferant gratiam, omnibus non ponentibus obicem. Quod verò, istud Sacramentum conferat gratiam in ordine ad pugnandum fortiter vsque ad mortem pro fide, & nomine Christi, ideoque illam conferat vberriam, & cum prædicto auxiliorum actualium iure, colligitur imprimis ex manifesta significatione formæ huius Sacramenti: *Signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis.* Quia Sacramenta operantur quantum significant, atque confirmatio coniuncta cum signo Crucis, apertè significat corroborationem sufficientem ad pugnam spiritualement pro Cruce, & fide Christi. Idem apparet ex Florentino in illo §. *secundum Sacramentum*, vbi definit in hoc Sacramento dari Spiritum sanctum ad robur, sicut datus fuit Apostolis in die Pentecostes, vt Christianus Christi nomen audacter confiteatur. Idem statuit Melchisedes Papa in epistola ad Hispaniarum Episcopos à medio, dicens: *In Baptismo regeneramur ad vitam, post Baptismum confirmamur ad pugnam, in Baptismo ablui-mur, post Baptismum roboramur, & iterum: Confirmatio armat, & instruit ad agones mundi huius, & prælia reseruandos.* Eodem pertinet illud Urbani I. in epist. 1. c. 7. *Cum Spiritus sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam, & constantiam dilatur.* Ex his præterea colligitur abundantiam gratiæ, & auxiliorum longè maiorem prouenire, ex hoc Sacramento; quam ex Baptismo, quia opus ad quod disponimur per hoc Sacramentum, est longè difficilius, quam quod præfigitur Baptismo, tanquam finis; atque Deus adiungit vires iuxta naturam operis, ad quod vnumquemque vocat. Vnde plus gratiæ superaddit Confirmatio, loquendo per se, quam præsupponat ex Baptismo. Quod confirmari potest ex comparatione proportionali cum ordine naturali generationis, & augmentationis obseruata supra q. 34. cum D. Thoma. Quia plus substantiæ superaddita augmentatio, quàm præsupponit ex natiuitate, confirmari vicissim potest ex ratione nuper data excessus perfectionis conuenientis confirmationi, supra perfectionem Baptismi assertus supra q. 35. art. 4. cui Confirmationis excessui, haud obscure suffragatur Melchisedes in epistola præindicata, dum interrogatus, quod sit maius Sacramentum, Baptismus, an Confirmatio, respondet: *Scitote vtrumque magnum esse Sacramentum, & sicut vnum à maioribus sit, id est, à Summis Pontificibus, quod à minoribus perfici non potest; ita & maiori veneratione venerandum, & tenendum est.* Eundem Confirmationis excessum agnoscit magister in 4. dist. 7. & D. Thomas in hac q. 72. art. 11. ad 3. vterque ex Rabano lib. 2. de instit. Cleric. cap. 30.

Art. 2. Sacramentum Confirmationis ratione characteris, quem imprimit est initerabile, vt dictum est supra de Baptismo, & docetur à Florentino, & Tridentino, locis indicatis. Eadem ratione hoc Sacramentum validè, simulque fidei suscipi potest, & consequenter conferre gratiam recedente postea fitione, sicut itidem dictum est supra de Baptismo iuxta præmissa, circa vtrumque Sacramentum, supra in communi, quæst. 30. Ratione verò augmenti gratiæ, quod confert hoc Sacramentum, requiritur ex parte suscipientis status gratiæ, & sanctitatis. Vnde qui ad illud accedit in statu peccati lethalis, peccat de nouo lethali, loquendo per se, seu seclusa ignorantia inuincibili, aut iuris, aut facti, & neque per se, neque per accidens consequitur gratiam, & remissionem peccatorum vi huius Sacramenti, vt apparet ex dictis supra in

communi q. 26. Eadem ratione concluditur cum communi Theologorum, ad percipiendum totum effectum huius Sacramenti, nullam dispositionem requiri, vltra consensum recipiendi, specialiter requisitum ratione characteris, vt apparet ex dictis de Baptismo, q. 46. initio & vltra præ assertum statum gratiæ, vt apparebit quasi à fortiori ex dicendis infra, circa Eucharistiam, q. 72. Nempe iustus ipsa sua coniunctione habituali, & amabili cum Deo, est sufficienter dispositus, vt in eo operetur causa quælibet augmentatiua gratiæ, quoties illi applicabitur. Auxilia verò actualia gratiæ obtinentur vi huius Sacramenti durante statu gratiæ, quoties occurrit opportunitas vltus, & indigentia eorum. Nempe Sacramenta non conferunt auxilia peculiariora gratiæ, nisi mediante gratia habituali, vt dictum est in communi.

Ad 1. Character Confirmationis non discernit fidelem ab infideli, sed fidelem adultæ ac robustæ virtutis, iuxta illud Ioan. 2. 14. *Scribo vobis iuvenes, quoniam fortes estis*, à fidelibus adhuc teneris, ac imbecillibus de quibus dicitur, *sicut modo geniti infantes.*

Ad 2. Sacramenta antiqua nihil operabantur interius, quia erant iustitiæ carnis, vt dicitur ad Hebr. 9. at Sacramenta nouæ legis operantur interius, quantum significant exterius, vt dictum est in communi, q. 19. 20. Præterea signum exterius circumcisionis erat permanentis pro permanentia corporis, cuius solius iustitia erat. At signum exterius Confirmationis transit cito, & anima, cuius est iustitia, seu cuius iustificatiua est, iuxta illud: *Qui iustus est iustificetur adhuc, est immortalis.*

Ad 3. Perfectio, quam dat Baptismus, iuuat specialiter ad superandos conflictus interiores. Confirmatio verò confert vires longè maiores ad conflictus exteriores & ad resistendum persecutoribus fidei. Vnde baptizatus, & confirmatus differunt inter se, vt dicit D. Thomas, tanquam domesticus, & miles. Ex qua comparatione eiusque fundamento superius explicato apparet vterius, characterem Confirmationis ita præsupponere ex sua natura characterem baptismalem, vt tamen non superaddatur illi, sicut superadditur intensio qualitatis, gradibus remissis eiusdem qualitatis, sed sicut qualitas qualitati diuersæ rationis, quæ est omnium fere Theologorum sententia. Eodem etiam modo differunt inter se auxilia gratiæ actualis, quæ conferuntur per vtrumque Sacramentum, licet quoad gratiam habitualement talis diuersitas non detur, propter essentialem ipsi vniuersalitatem ad omnia opera salutaria, de quo alibi.

Q V Æ S T I O LVII.

Vtrum ritus Confirmationis sint conuenienter instituti?

Videntur non rectè instituti. 1. Quia ritus Sacramentorum ordinantur ad instructionem suscipientis, circa substantiam eorum. Confirmandus autem siquidem debet esse baptizatus prius iam supponitur instructus de iis, quæ pertinent ad disciplinam vitæ Christianæ, ad quam vtrique pertinent Sacramenta, saltem ea, quæ sunt omnibus communia, vt est communis Confirmatio omnibus fidelibus. Perperam ergo superadduntur Sacramento Confirmationis ritus accidentales peculiare, vltra eos, qui instituti sunt pro Baptismo.

2. Inconueniens est, vt quæ sunt accidentalia alicui Sacramento, sint maioris necessitatis, & obligationis, quam ipsum Sacramentum. Sacramentum autem Confirmationis non est necessarium ad salutem, necessitate, aut mediæ, aut etiam præcepti, vt fert communis

munis Theologorum opinio; atque ritus adhiberi soliti in collatione huius Sacramenti, sunt quid accidentale respectu ipsius. Inconuenienter igitur obligat Ecclesia sub præcepto, ad superaddendos ritus eiusmodi accidentales.

Respondetur plures ritus accidentales respectu huius Sacramenti obseruantur in eius administratione, qui videri possunt in Pontificali Romano; circa honestatem, conuenientiam, & laudabilem obseruantiam eorum, nihil superaddere necesse est in præsentia: vltra ea, quæ dicta sunt tum in communi, tum in particulari circa Baptismum, q. 36. 44. & 49. Tria specialiter expedierit obseruare. Primum est in administratione huius Sacramenti debere adhiberi Patrinum, qui confirmatum teneat, dum confirmatur, eundemque, deinde erudiat ad pugnam spiritualem. Quod optimè institutum esse, optima ratione commonstrat D. Thomas quæst. 72. art. 10. Quia videlicet in bellis temporalibus constituuntur Duces, & Centuriones, per quos alij dirigantur, atque à veteranis instruuntur tyrones. Bellum autem spirituale est multo difficilius, atque inimici, contra quos pugnandum est, sunt fortiores, ac fraudulentiores, & industria pugnandi sunt occultiores, multo igitur magis conueniens, ac necessarium est, vt cum quis assumitur ad hanc pugnam, assignetur ipsi Pædagogus, seu Patrinus, à quo in signum suæ imposterum mantentionis, protectionis, ac directionis teneatur confirmatus, dum confirmatur, etiam si prope ætatis sit, quatenus nihilominus est iunior. & tyro, quoad militiam spiritualem. Fungi vero potest hoc munere, quilibet vtriusvis sexus, dummodo sit bene instructus, quoad ea quæ pertinent ad militiam spiritualem, quia in Christo Iesu non masculus, & femina, vt dicitur ad Galat. 3. 28. quæ de cognatione spirituali, aliisque nonnullis dicta sunt quæstione illa 44. circa Patrinum Baptismi, eadem, hic etiam locum habent, nisi quod Patrinus Confirmationis debet esse vnus, vel vna tantum, & rarius tenetur ad instruendum confirmatum. Secundum est, quod Episcopus leuiter alapa percutit confirmatum, tum vt melius meminerit huius Sacramenti à se suscepti, magisque vitetur periculum iterationis, quæ est sacrilega, vt dictum est; tum maxime, vt moneatur confirmatus debere se fortiter tolerare iniurias, omnesque difficultates, quæ occurrere possunt in militia Christiana. Tertium est vitta linea circumligari debere caput confirmati, ne statim vnctio dissuat. Vnde ea gestari debet, donec exsiccetur chrisma, nisi, vt moris alicubi est, frons confirmati abluatur in fonte baptismatis paulo post Confirmationem. Circa hæc, & talia eiusmodi videri plura possunt, si placet apud Soto dist. 7. art. 12. & apud Suarez disp. 37.

Ad 1. Ritus accidentales Sacramentorum, non ad hoc solum adhibentur, vt per illos manifestetur magis suscipienti natura, finis, & effectus Sacramenti, sed etiam & multo magis, vt Sacramentum & decenter, & ac reuerenter perficiatur, & suscipiatur maiori cum deuotione, & sensu pietatis disponente ad vberiores fructum percipiendum ex eodem Sacramento: Indidem præterea fit vt notitia præhabita de natura, & sublimitate Sacramenti, promoueat, aliusque imprimatur animo, per significationem mysticam sacrorum rituum, quo etiam adminiculo indiget confirmatus tanquam tyro.

Ad 2. Plura sunt, quorum faciendorum nulla est obligatio absolutæ, quæ tamen, si fiant, necesse est, vt fiant determinato quodam modo, iuxta naturam eorum, vt apparet inter alia in sacrificio Missæ. Vnde licet nulla sit obligatio, saltem grauis suscipiendi hoc Sacramentum, possitque omitti absque peccato, saltem graui, dummodo id fiat absque contemptu explicito, vel implicito Sacramenti, & absque aliorum scandalo,

vt fert communior Theologorum sententia; quatenus nemo tenetur sub peccato ex natura rei ad augmentum gratiæ, & auxiliorum, quod solum dictum est, haberi posse vi huius Sacramenti; nullumque reperitur præceptum, aut Diuinum, aut humanum, saltem, quod grauitè obliget ad illud aliquando suscipiendum. Quamquam, inquam, hoc verum sit, verum tamen nequaquam est ex suppositione, quod suscipiatur hoc Sacramentum non debere suscipi modo decenti, qui conuenienter præscribitur ab Ecclesia, tametsi ad pleraque eorum, quæ præscribit, obliget tantum sub veniali, & nonnulla pertineant ad solum consilium, solamque maiorem perfectionem, tum ex parte ministri, tum ex parte suscipientis.



INCIPIUNT QUÆSTIONES de Venerabili Eucharistia Sacramento.

QUÆSTIO LVIII.

Vtrum Eucharistia sit Sacramentum corporis, & sanguinis Christi, sub specie panis, & vini, cum vi conferendi augmentum gratiæ, vbertatem auxiliorum actualium, & feruorem charitatis?

VIDE TUR, istam definitionem non esse bonam. 1. Quia hoc Sacramentum non distinguitur a corpore, & sanguine Christi Sacramentum, autem distinguitur ab eo, cuius est Sacramentum, quia est signum, practicum eius: id est, est signum, & causa eius vt liquet ex quæstione 1. atque signum distinguitur ab ea re, cuius est signum, vt dicit Augustinus cap. 1. de Mag. & similiter causa distinguitur à suo effectu. Ergo non rectè dicitur Sacramentum corporis & sanguinis Christi.

2. Corpus Christi sub specie panis, & sanguis eius sub specie vini sunt duo Sacramenta. Quia variis seorsim sumpto, conuenit tota definitio Sacramenti. Deinde communio sub altera tantum specie, est vera veri Sacramenti, & non tantum partis Sacramenti susceptio. Præterea Ecclesia in quadam sua oratione dicit de corpore, & sanguine Christi: *Purificent nos quasumus Sacramenta, quæ sumpsimus.* Demum hoc eodem pluraliter loquendi modo vtuntur sæpè concilia, & PP. de corpore, & sanguine Christi, sub speciebus panis, & vini. Ergo non rectè dicitur in singulari Sacramentum corporis, & sanguinis Christi.

3. Communiter distinguunt Theologi Eucharistiam à reliquis Sacramentis, quia Eucharistia confert gratiam per modum cibi, & refectionis spiritualis, atque augmentum gratiæ quatenus augmentum est formaliter, vt contendit specialiter Cardinalis de Lugo: reliqua verò Sacramenta materialiter, quatenus augmentum est, & formaliter, quatenus deferunt ad certas quasdam operationes. Ergo illud potius ponendum erat in definitione, quàm vbertas auxiliorum actualium, & feruor charitatis.

4. Bona definitio debet explicare naturam rei, prout subest eius nomini. Istud autem Sacramentum habet multiplex nomen, quia à Concil. Nic. 1. Can. 12. & à Carthagin. 4. Can. 77. & 78. & ab alijs dicitur Viaticum. Ab August. 3. de Trinit. Cap. 4. Sacramentum corporis, & sanguinis Domini; à Chryl. Homil. 1. de Cœna Domini, & ab alijs cum Apost. 1. Cor. 11.